






Alfred [illegible]





D. CHRISTOPH MEURER
Mathematum Professor et
Physicus Ordinarius
Academiæ Lipsiensis
Rector Anno jubilæi 1609.
J.G.M. sc.

ACADEMIA LIPSIENSIS REDIVIVA,

Sive

MONUMENTA JUBILÆI SECULARIA,

nempe:

1. Oratio in tunc temporis Rectoris Magnifici *Dn. D. Christophori Meureri*, Mathem. P.P. Commendationem a *Dn. D. Christophoro Brunone*, Facultatis Medicæ Seniore & Prof. Publ. habita,

2. PANEGYRICUS SECULARIS,

3. Senarii Numerales X, ad An. MDCIX. pro Jubilæi memoria,

4. PRIVILEGIA hujus ACADEMIÆ ab Imperatore Romano *Carolo V.* an. 1548. renovata & clementissime confirmata, &

5. Quatuor Conciones Germanicæ ob Jubilæum habitæ.

Accurante


MICELIO, P.P. extraord.

LIPSIÆ,

Ex Officina GROSSIO-BRAUNIANA,

1709.





EN! Lector benevole, *Academiam Lipsiensem redivivam*, hoc est, *Jubilæi Academici*, quod ante centum annos die IV. Decembr. hæc *Academia nostra* solennissimè celebravit, *monumenta* in hoc libello collecta, eum in finem, ut, quid factum tunc fuerit, perspectum ac cognitum quivis habere, sibique in memoriam denuo revocare posset. Tantum autem abfuit, ut dicto *Academici Jubilæi* die *Promotiones*, non dicam à *Facultatibus tribus reliquis*, quæ dicuntur *Superiores*, sed ne à *Philosophica* quidem, institutæ fuerint ac habitæ, ut potius, testantibus publicis monumentis, Anno *Jubilæi Academici* incepto, *consveto* & *ordinario Mense*, scilicet, XXVI. *Januarii*, tunc temporis *Rectore Magnifico*, Dn. Georgio Feigio, Laubano Lusato, Med. Doct. & Profess. Publ. *Procancellario*, Dn. M. Ambrosio Sonnevvald, & *Decano*, Dn. M. Wilhelmo Schmuck, Sulano Franco, J.V. Candidato, (quæ *ante-secularis* quasi posset dici) & insequente Anno M. DC. X. à *seculari secundo proximo*, ejus-

 dem

dem *Mensis ordinarii* ac *consveti* nempe XXV. *Januarii* die, *Rectore Magnifico*, Dn. D. Christophoro Meurero, Mathematum Professore, *Procancellario*, Dn. M. Petro Wernero, & *Decano*, Dn. M. Ambrosio Sonnevvald (hæc *post-secularis* veniret dicenda) demum *Philosophica Facultas* suas *Magisteriales* celebravit *Promotiones*: Nullam verò *secularem* Mense Decembri, ut in hac Academia insveto, habuit. Quæ verò nunc in hoc libello reperire licebit *Monumenta secularia*, erunt ordine sequentia; ut: primò *Oratio, quæ in tunc temporis Rectoris Magnifici Dn. D. Christophori Meureri, Mathem. Profess. Publ. Commendationem à Dn. D.* Christophoro Brunone, Facultatis Medicæ Seniore & Professore, *more consveto, publicè fuit habita.* Secundo *Panegyricus Secularis:* Tertio *Senarii Numerales* X. *ad Annum Christi* M, DC. IX. *pro memoria Jubilæi Lipsici*: Quarto, *Privilegia hujus Academiæ ab Imperatore Romano, CAROLO V. anno 1548. renovata & clementissimè confirmata*: Quinto demum *quatuor Conciones, quarum duæ* à Dn. Georgio Weinreich / S. S. Theol. Doctore & Professore, ut Superintendente, *reliquæ* verò *duæ* à Dn. M. Johanne Mulmanno, S. S. Theol. Professore, *in Laudem & Gloriam DEI*, cum devotissima gratiarum actione, pro infinitis in Academiam & Urbem per Seculum bonis ac beneficiis divinitus collatis, habitæ fuerunt.

ORA-

ORATIO PANEGYRICA
In festivam & solennem introductionem

MAGNIFICI RECTORIS
ACADEMIÆ LIPSIENSIS

CHRISTOPHORI MEURERI,

'hilosophiæ & Medicinæ Doctoris,
Mathematum Professoris, & Physici
Ordinarii,

habita XIX. Novembr. Anno Christi 1609.

Universitatis
200.

JUBILÆO

A

). Christophoro Brunone, Facultatis Medicæ Seniore & Professore.



Amplissimis ac Consultissimis Viris, Dn. Theodoro Möstelio, J. U. D. & Electorali Consiliario, nec non Dn. Joh. Peilichio, Reip. Lipsiens. Cosf. ejusdemque Scabinatus Assessoribus Dignissimis, Compat. & Affin. suis honorandis.

Postquam è tenebris in publicum sese committere, aliorumque censuras & judicia subire intrepide constituisset oratio mea, confestim solicitus esse cœpi de clypeô, cujus beneficio malevolorum calumnias, venenatarumque linguarum improvisa tela vel avertere, vel sine vulneris periculo excipere posset. Statim enim istam mecum inii rationem, culpatores & Momos, qui etiam ab optimis quibusque operibus manus abstinere nequeunt, huic quoque scripto suis nævis non destituto, vim illaturos. Ideoque cum succos & herbas, quibus alios morbos curare novi, huic malo non fore sufficientes, facilè colligerem, à V. V. A. A. protectionem magis accommodam impetrandam existimavi. Quod propositum meum robur ex eo accepit, quod Magnifico nostro Rectori, cujus laudes recensui, ab Amplissimo Senatu totius Civitatis circa morbos curam & inspectionem commissam, & ob id nomen ipsius apud V. V. A. A. magnum & carum



rum esse, sciam eaque de causa commendationem me-
am non ingratam fore, confidam, præcipue, si illum
esse, qui tertium Academiæ nostræ seculum cum secundo
conjunxerit, seque in id tempus reservatas, ut hac feli-
citate perfrui contigerit, cogitaverint. Hanc itaque in-
auguralem orationem ut A. A. V. V. læta fronte suscipi-
ant, recto oculo legant, suoque patrocinio tueantur, etiam
atque etiam rogo, & pro amicitiæ lege contendo. Fa-
ciet Magnif. Dn. Rector, nec ego deero, ut benevolen-
tiam istam debita gratitudine, promptissimisque officiis
recompensemus. B. V.

V. V. A. A.

Studiosiss.


D. Christophorus Bruno,
Comp. & Affin.



ORATIO.

QUamvis, Magnifice Dn. Rector, Viri omnium ordinum ac dignitatum præstantisſimi, honoratisſimique, vosque, juvenes generis ac virtutis nobilitate conſpicui, omniumque doctrinarum laudibus ornatiſſimi; Quamvis, inquam, alias ſolennis iſta, moribusque noſtris receptisſima celeberrimæ hujus Academiæ Panegyris hodierna rationibus ſuis non ſit deſtituta, nec ego, quenquam Studiis addictum à converſatione noſtrâ adeo alienum, & à Collegiis noſtris tantopere abhorrentem eſſe, exiſtimem, qui, vel temeritate, vel arrogantiâ quadam modò nos huc confluxiſſe, ſibi perſuaſum habeat: (Non enim venerandæ tantum antiquitatis, cui omnis ſapientiæ ac doctrinæ originem ac fontem nemo non acceptum refert, præclarisſimum habemus exemplum; verum etiam Statuto, cujus ab obſervatione latum quidem unguem diſcedere, jurisjurandi, quam primum Studioſorum numero recepti ſumus, præſtiti, & officii ingreſſu repetiti, religione prohibemur, idem cautum reperitur. Cui & hoc accedit, quod hac ratio-

ne



ne testatum facimus studiosæ juventuti, provinciam hanc non viris minus idoneis, prout sors eos objecerit, ut, quosdam imperitos, ac publicæ pacis turbatores autumare, novimus, sed optimo cuique, de quo tota Universitas bene sperat, Electorum maturo, & à Supremo Numine precibus exorato consilio demandari, ut eum omnes subditi, tanquam in illustri positum, ut Livii verba huc accommodem, intueantur, ut nde sibi, quod imitentur, capiant, inde fœdum nceptu, fœdum exitu quod vitent.) Hæc tamen oncio novis & exquisitionibus, nititur rationi'us, ut, si antehac nunqnam tale quippiam tenitum, vel actum esset, exigente hoc tempore, in audes Magnifici nostri Rectoris passis velis eramur, ipsiusque commendationi semihoulam tribuamus. Talem enim nunquam viimus, nec nos visuri sumus, de liberis etiam ostris desperamus, nepotibus, ut simili feliitate fruantur, vix à fato concessum iri, eximantes. Iste enim est, qui seriem hanc ectorum, licet variis exterorum hostium insulbus, aliisq; quam plurimis periculis expositam, d numerum quadringentesimum salvam & imnotam deduxit, alterique Academiæ nostræ culo colophonem feliciter imposuit, simul rtio, non secus, ac bifrons aliquis Janus no-

novum annum cum veteri conjungens, annuente Deo, principium daturus. Etiamsi nunc igitur nihil magis habeam in votis, quam ut hæ vices alicui viro, cui Musa magis ore rotundo loqui dedit, impositæ fuissent, ut oratione politiore Magnifici nostri Rectoris vitam ad posteritatem transmittere, & futurum seculum auspicaturis legendam proponere potuerit. Attamen, excusatione mea locum non invenientem, amicitiæ nostræ jura præponderare debuisse, existimavi, nominisque ac famæ solatium è variis encomiorum generibus, ex gravibus Rhetorum eloquentissimorum concionibus, ex nunquam interituris carminibus in ipsis Jubilæi nostri solennibus recitandis Rectori nostro sperandum reliqui.

Quod itaque nunc instituti nostri proprium est, exordiamur, & ad Magnifici nostri Rectoris commendationem accessum faciamus. Etsi autem vita ipsius non tantum ex præclara functione, verum etiam ex oratione celebri Domini *Zachariæ Schilteri* p. m. Theologiæ Doctoris, & quondam Professoris apud nos vigilantissimi, &, dum in vivis erat, omnibus exoptatissimi, die Aprilis vigesimâ, anno Christi nati millesimo quingentesimo nonagesimo secundo, sub initium primi regiminis habita satis super-

ɔerque clareat, ut ſingulari, meoque imprimis, præconiô, indigere non videatur; quia pleraque tamen ex vitæ conſvetudine & uſu quotidiano mihi magis exploratè cognita ſunt, paternas virtutes & alienas breviter tantum, & proprias ſaltem, ac in noſtrum Rectorem Magnificum è limpidô illô fonte derivatas ſuccinctè prædicabo.

Parentem habuit Magnificus Dominus Rector Dominum *Wolffgangum. Meurerum*, Philoſophiæ & Medicinæ Doctorem, & utriusque in hac Academia Profeſſorem celeberrimum, Collegii Facultatis Medicæ Decanum digniſſimum, *Senatorem* hujus Civitatis honoratiſſimum, Virum dignitate, pietate, candidi pectoris ſinceritate, vitæ morumque gravitate, ſelectisſimarum doctrinarum copiâ, imprimis Græcæ Lingvæ peritiâ, multiplici rerum uſu & experientiâ, veneranda canitie, honoribus, autoritate & meritis in utramque hujus urbis Remp. ampliſſimum præſtantiſſimumq;, & quanquam ab aliis quoque, ut Domino Magiſtro *Bartholom. Walthero* ſanctæ memoriæ, copioſa & prolixa oratione typis excuſa, cui ſvavitatem ſuam multasque laudes infarſit Academiæ illa noſtræ Pitho, Dn. M. *Joh. Fridericus*, Hiſtoriarum ſagaciſſimus exploratur & Profeſſor, compater me-

us

tus colendus, nec non à prænominato Dn. D. *Schiltero* p. m. oratione tum temporis quoq; evulgata præclara præconia illi tributa sunt, nunquam tamen satis laudatum. Cui tametsi humana contigerint, ut animam superis, & terræ corpus tradiderit, ex hac turba & colluvione in cœlestem Academiam luce & lætitiâ plenam translatus fuerit, vivet tamen, quamdiu Academia vixerit, & fama, nomen & honor ejus apud nos nunquam interitura sunt.

Mater Magnifico Domino nostro Rectori fuit *Margaretha*, Filia Dn. *Christophori Blasebalgii*, Viri itidem ex familia in hac urbe famigerabili & antiquissima oriundi, cujus laudes, ut & aliorum, à quibus ortus sui initium ducit, vel sangvinis affinitate conjunctos habet Magnificus noster Rector, si recensere velim, non tantum breve hoc tempus ad perorandum mihi concessum subito è manibus elaberetur, sed etiam oratio mea, quam solius Rectoris nostri virtutibus attribui, fine suo destitueretur. Ideoque hic abrumpo, & amantissimos Dominos Auditores absolutissimam Magnifici nostri Rectoris laudem sitientes ad prædictas orationes in lucem emissas remitto, & ad vitam commendationemque Rectoris propriam me recipio. Non autem opus est, ut pueritiæ tempus percur-

ram,

im, quantosque id ætatis sudores, ardentissi-
ia discendi cupiditate, permotus, pertulerit,
narrem, cum Ethnicis etiam, Deum illos an-
e virtutem posuisse, &, sine labore & amore
ihil egregii mortalibus concedi, nemini igno-
um esse possit vel debeat. Fundamenta si-
uidem eruditæ doctrinæ jecit in publica pie-
atis, virtutis & eruditionis officina ad Divum
Nicolaum, sub disciplina *M. Sebastiani Röseleri, à*
Camerario & Meurero, nostri Rectoris Magnifici
arente, utroque Academiæ & Urbis hujus lu-
nine fulgentissimô, in liberalibus artibus in-
tructissimi, nec non Dn. *Johannis Otwini,* J. U.
Doctoris, felicis recordationis, *Röseleri* tum col-
egæ, & postea in ejusdem Ludi publici guber-
iatione successoris dignissimi. Privatâ etiam o-
erâ usus est *M. Wilhelmi Hildenii,* Viri ingeniô
ion minus, quam eruditione præstantis. Pro-
ressus itaque satis felices & optatos cum
ptimus parens cerneret, nullis sumtibus
& laboribus quo non tam bonorum ac fortunæ,
quam morum ac virtutis hæredem relinqueret,
epercit, filiumque, ut in studiis inceptis cal-
ar adderet, Academicas habenas *Victorino*
Strigelio, Virô æternæ memoriæ, moderante,
n commune Studiosorum album referri cura-
it, quâ dignitate ne se indignum gereret Ma-
gni-

gnificus noster Rector, tantâ felicitate ac diligentia omnes artes ætati suæ idoneas didicit, ac animô comprehendit, ut, quamprimum ad annos pubertatis, quibus Sacramentum licitè dici consvevit, provectus fuerit, hôc quoque vinculô obstringi, & coram Dn. *Michaële Wirth*, Facultatis Juridicæ Ordinariô, Virô omnibus nominibus ac titulis honorando, Scholastica Sceptra, tum temporis tenente, (id quod factum anno supra millesimum quingentesimum septuagesimo quarto, quique Magnificus Vir de tota hac Academia præclarissimê quotidie merens, exceptis duobus viris clarissimis, Dn D. *Balthasarô Gitlerô*, Facult. Medicæ nostræ Decano Amplissimo, Rectore hujus Scholæ primum anno millesimô quingentesimô sexagesimô sexto, ac Dn. *D. Amando Pfistero*, Amplissimæ Facultatis Juridicæ Seniore, Rectore & ipso primum anno supra millesimum quingentesimum septuagesimô primô, DEI beneficio Senior superstes est ex iis, qui Academiæ hujus fasces cum laude singulari gesserunt, reliquis omnibus in Domino hactenus consopitis) Magnificus inquam Dominus Rector noster, honestioribus Disciplinis se plane devotum & mancipatum esse, testatum facere voluit. Neque spe sua deceptus est. Preces enim laboribus adjunctæ tantum valuere apud Deum, ut eas dignitati-

tati-

:atibus & honoribus cumulatissimè remunera-
us fuerit. Nam anno ætatis vicesimo primam
n Facultate Philosophica lauream una cum
Amplissimo & Consultissimo, Viro Dn. *Theloro Nöstelio*, J. U. D. & hujus Reip. Cos. Meritis-
imo aliisque decem & septem viris cultissimis,
quos omnes, præter hæc duo lumina, naturæ
lecessisse, compertum est, unanimiter consen-
ientibus censorum suffragiis, adeptus est. Tri-
nnio post suprema in artibus laurea corona-
ıs, & Philosophiæ Doctor publicæ renuncia-
ıs est. Quem honorem ubi reportavit, non
atim, ut plerumque à juvenibus fieri solet, illi
isciplinæ repudium misit sed licet ad Medicam
acultatem instincta patris & raptu naturalis in-
linationis animum suum applicaret, Philoso-
hiam tamen ducem ac magistram in illo Stu-
iorum genere juxta Summorum Medicorum
:ippocratis & Galeni Judicium vere agnovit.
ræcipuam vero Mathesi, nobilissimæ Philo-
ophiæ parti, navavit operam adeoque assidu-
n & fidelem Dn. Licentiato *Mauritio Steinmetz*,
lathematum tum temporis Professori, Viro
:r famam nunquam morituro, auditorem &
scipulum se præbuit, ut præceptore fato de-
ncto, cum Collegii Philosophici, tum pu-
ici Consilii unanimi concessu, non sine ma-

xima decrepiti parentis ad iſtos & alios filii honores reſervati, lætitia, quam ſua quoque præſentia, præfationem Rectore noſtro Lectionum inchoante, ſatis aperuit, Succeſſor deſignatus, & autoritate *Sereniſſimi & Illuſtriſſimi Elect. Auguſti* Sacræ memoriæ confirmatus fuerit, illique officio in hodiernum usque diem præeſt, non ſine Auditorum fructu ad decus & ornamentum inclytæ Academiæ. Cumque Deum plura talenta, quam unum, ſibi concrediſſe, ſeque majoribus, quam iſti muneri ſoli, ſufficere poſſe, deprehenderet, reliqua ſepeliri, ac ſine fructibus & uſuris ſub terra recondi noluit, ſed omnes vires exſeruit, ſeque Scholis & Reipublicæ in pluribus inſervire poſſe, manifeſtavit.

Diſputationes quam plurimas cum magno Scholaſticæ juventutis applauſu publice habuit, primam *de Galaxia*, ſ. via lactea, commemorabili Meteoro, pro loco inter Magiſtros obtinendo; alteram ſimiliter ex Meteorologicis depromptam *de Iride*, ſ. arcu cœleſti, anno milleſimo, quingenteſimo, octogeſimo ſecundo ad viceſimum ſecundum Septembr. loco Dn. Decani *M. VValtheri* auſpicato finivit. Subſequenti anno, undecimo Julii induſtria ipſius in perorando quoque ſatis ſuperque ſpectata eſt, dum

Illu-

Illustrissimi ac Fortissimi Principis ac Herois eximii, Dn. Mauritii, Ducis Saxoniæ, & Septemviri Potentissimi, memoriam anniversariam oratione elegantissima, de qua *Johannis Rivii,* viri literatissimi, & magni Oratoris, eoque celeberrimum nomen consecuti, judicium in scriptis exhiberi posset, in solenni conventu in æde Paulina celebravit, omniumque oculos & aures quasi stupefactas in se convertit. In ista quoque arte cum specimen illud egregium edidisset, anno millesimo quingentesimo octogesimo quarto mare ingressus *de fluxu & refluxu* ejus capita quædam, cum aliquot problematis, tidem pro loco in inclyta Facultate Philosophica consequendo, disceptandum proposuit, & strenue ac viriliter defendit. Biennio post, cum in illa Facultate *Decani* munus & officium gereret, *Mathematicarum* disciplinarum analysin ingeniosissime conscripsit, & partem priorem Dn. *Christiano Diestelmeiero*, Jurium Consultissimo, *Illustrissimi Principis*, *Johannis Georgii*, Electoris Brandenburgici, &c. Consiliario, avunculo suo amantissimo dedicavit & obtulit, & præter admirationem operis magnam nominis gloriam reportavit. Posteriori parti sequente anno extremam manum imposuit, loco Dn. *Andreæ Dæreri,* Serenissimi Electoris Medici so-

 ler-

lertisſimi, tum temporis Decani, propugnandam dedit, & fratris ſui *Philippi* ſocero, Magnifico & Ampliſſimo Viro Dn. *Gvilhelmo Mollero, Oſtfrislandiæ Cancellario, Inclytæ Reipubl. Hamburgenſis Syndico ſupremo, & Comiti Palatino*, honoris ergo inſcripſit, laudesque ſuas per iſtarum etiam terrarum oras dilatavit. Nec unquam in hoc laudum curriculo ſibi pedem figendum eſſe, duxit, ſed in aſtris famam ſuam terminare voluit, ad quæ rationis & artis ſuæ remigio evolavit, & duas Orationes, alteram *de multiplici Aſtronomiæ uſu*, quæ Viri Conſultiſſimi Dn. D. *Andreæ Goldbeccii*, paucos ante menſes non ſine lacrymis nobis per mortem erepti nomen in frontiſpicio gerit, alteram *de Autorum in Aſtronomia delectu*, *Conrado Daſypodio*, inſigni Mathematico, Scholæ Argentinenſis lumini, dicatam, cujus, ut & *Johannis Prætorii*, Altorffinæ Academiæ Mathematici præſtantisſimi, judicium exſtat integerrimum, maxima cum ſolertia compoſuit.

Hiſce laudabiliter perfectis, potiorem inſuper temporis partem Studio Medico impendit, tantosque ſimul profectus fecit, ut anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo primo *Licentiam* in iſta arte conſequeretur, Diſputatione prius anno prægreſſo habita *de convulſione*, Præſide *Gvilhelmo Romano*, Philoſophiæ & Medicinæ

cinæ Doctore, nunc Physico Ordinario & Consule Reipubl. Numburgensis Amplissimo, affine meo semper amando. Eodem anno ad decimum septimum Calendas Novembris *fasces & sceptra Academica* eidem primum commissa sunt, & commendatorem optimum virum, Dn. D. *Zachariam Schilterum*, quod supra quoque diximus, virtute sua promeruit, eaque dexteritate rem nostram administravit, ut jam præ cæteris, qui in Jubilæo nostro ad clavum Reipubl. Scholasticæ sederet, Dominis Electoribus dignus videretur, tum quoque ob negotium bene gestum, & singularem industriam in eo deprehensam alia dignitate cumulatus, & inter *Decemviros Collegii Paulini* numeratus est. Postquam publicum illud onus deposuisset, domi vacuus delitescere, & otio frui noluit, sed iterum in publicum prodiit, iter, quo ad summam dignitatem evectus est, impigre absolvit, &, Disputatione *de Phthisi s. Tabe* præmissa, *Doctoralia insignia* commeruit, quæ ipsi, simul & Artis Medicæ peritia clarissimis Viris, Dn. *Johanni Steinmetzio*, in curandis morbis postea felicissimo, & ante biennium defuncto nec non Dn. *Joachimo Tanckio*, quem (proh dolor!) non sine lacrymis, & magno Facultatis nostræ detrimento ante decendium amisimus, ab Am-

plisſimo Medicorum Collegio, promotoribus *D. Simone Scheubio*, & *Dn. Georgio Mosbachio*, *Dn. Ernesti Mosbachii*, Rectoris noſtri conſanguinei, & Reipubl. Lipſ. Judicis dexterrimi & æquisſimi, quibus, dum parente in vivis erant, nemo non lubens meritoque palmam offerebat, anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſecundo, die vigeſimo Sexto Septembris ſolenni ritu collata ſunt. QuamSpartam ubi nactus erat, eam quoque omnibus modis ornare annixus eſt. Eapropter Diſputationem de *mola* eruditisſimam conſcripſit, ſuoque præſidio publico ventilatam defendit, & eodem confeſtim anno præmium hujus laboris reportavit, dum in Collegium Principum minus cooptatus fuit, ubi tertium Præpoſiti munere jam fungitur. Eandem dignitatem in tribus villis Academicis veteribus ante annum quoque obtinuit, & inculpate ad ſucceſſoris clarisſimi, & Conſultisſimi Viri, Dn. *Michaëlis VVirthii* Junioris, J. U. D. ac Profeſſoris, & Judicii Electoralis Aſſeſſoris dignisſimi, manus tradidit.

Iſtam Rectoris noſtri Magnifici induſtriam, & eruditionem omnimodam cum tota Civitas deprædicaret, eaque Amplisſimo Senatui innotuiſſet, officio, quo ego me non ita pridem abdicaveram, ipſum eodem anno præfecit, & *Phyſicum* hujus Reipubl. nec non Inſpectorem

Noſo-

Nosocomiorum & in eo Successorem *D. Schenbii*
accedente, ut moris est, consensu inclytæ Facultatis Medicæ, esse voluit. Quam provinciam nunc sedecim annos ea diligentia & fortunante Hygeia gerit, ut quam plurima corpora sanitatem suam post DEUM illi acceptam referant. Norunt, & ad cœlum usque tollunt promtitudinem & humanitatem Magnifici nostri ii, quos ante biennium, & superiori tempore abominabilis & horrenda ista lues contagiosa prostraverat. Novimus ipsi, quam solicitus sit, ne, dum officium hoc impedimento est, ægrorum cura negligatur. Sed citius in has laudes diffunditur Oratio mea, quam par est. Dicendum enim prius erat, quidnam egregium præter cæteros, ad hæc usque tempora ab officii ingressu præstiterit; Ac nostros quidem non latet, Disputationum exercitia ipsum nunquam fugisse, sed, ordine flagitante, sui quod fuit muneris, è vestigio sibi in memoriam revocasse. Alteram igitur ordinariam habuit *e præfocatione hysterica*, tertiam hac bruma habiturus, nisi officii ratio nunc obstaret, & præter voluntatem in aliud tempus, quo sui juris redditus fuerit, conjicere cogeret. Lectiones anatomicas, cum, ordine ferente, ipsi in diebus canicularibus more consveto demandarentur,

 tur,

tur, intra menſtruum illud ſpatium, quartum abſolvit. Asſiduitas ipſa, & nunquam intermiſſa ſedulitas cum ab omnibus probaretur imprimis Nobilisſimum Jure conſultum *D. Franciſcum Romanum*, affinem & compatrem meum colendum, tum temporis Rectorem Magnificum permovit, ut ejus inſtitutioni & curæ Illuſtrem ac Generoſum Principem ac *Dominum, Dn. Chriſtophorum Radzivil, Ducem Pirzarum & de Dubinxis, &c.* committeret, quem hujus informatoris non puduit, nec unquam pœnitebit.

Edidit inſuper *Meteorologiam* parentis ſui chariſſimi, à ſe tamen laborioſe digeſtam & limatam. Emiſit in lucem *Euclidis Optica & Catoptrica.* Magno quoque Studioſorum emolumento *Analyſin* quandam Arithmeticæ & Geometriæ tabulis ſuccinctis & perſpicuis comprehenſam publicavit, omnia fidelis & curioſæ profesſionis monumenta, eaque in uno functionis genere. In altero publicum commodum conteſtante non minorem adhibuit providentiam. Urbis enim hujus hoſpitii noſtri bono ac ſaluti *Regimen prophylacticum* Medicis dictum, cum ſuperioribus annis lues peſtilens hoc oppidum affligeret, autoritate Amplisſimi Senatus Lipſienſis in publicum emiſit, hocque auctum & recognitum ante biennium denuô evul-

vulgavit. Et quo singulis prospiceret, in u-
um pauperrimæ plebis minori sumptu com-
aranda medicamenta singulatim indicavit,
ɛ ne quid deesset, prægnantibus mulieribus
eculiarem tractatum, à quo de præservatione
ontra illud malum edoceri possent, præscri-
sit, & generatim talem se gessit in eo, ut ipsi-
s diligentia in obeundo munere vocationis
nemine jure desiderari potuerit: Pestis etiam
ıdicia propria, quibus scilicet quælibet gene-
a ejus rite discerni possint, quod à paucis ante
ıotatum fuit, adhuc propediem imprimenda
urabit.

Et hisce virtutibus ac probitati, ut alias per-
etuo solet, comitem individuum se præbuit
ɔrtuna, ut non tantum, quæ humanus u-
ıs postulat, verum etiam omnium rerum af-
uentia obveniat. Liberos, ceu palmas oli-
arum, in casto & quieto thoro susceptos e-
ıucavit, & filiam moribus & forma pulcherri-
ıam clarissimo Viro Dn. *D. Andreæ Emmenie*,
ompatri meo charo, quem paucos ante menses
atria, ut ibidẽ Physicus Ordinar. esset, avocavit,
ı matrimonium collocavit, & quinq; filios Stu-
iis liberalibus aliisque honestis, & ad vitam hu-
ıanam ac usum necessariis partim jam dedi-
ɔs, partim deinceps iisdem mancipandos ma-

 ximo

ximo cum gaudio conſpiciat, etſi quinque aliorum obitu, ut & duorum fratrum, *Philippi, Philoſophiæ & J. U. Doctoris*, quondam *Sereniſſimi Regis Daniæ Conſiliarii, & Reipubl. Hamburgenſis Subſyndici*, poſt *Reverendiſſimi ac Illuſtriſſimi* Principis ac Domini, *Domini Johannis Adolphi, Ducis Holſatiæ, Vice-Cancellarii, & tandem Conſiliarii ac Præſidis Huſenæ*, & *M. Johannis*, Theologiæ Candidati, ante biennium parvo intervallo defunctorum, maximopere turbatus fuerit, & admodum nuper ex morte ſoceri, *Friderici Löſeri*, cui Deus ætatem ad annum octogeſimum ſecundum prorogaverat, & Freibergæ, urbe metallica, Conſulatu novies honorarat, quod intra ducentos annos ipſi & aliis duobus ſaltem obtigiſſe, ex annalibus iſtius urbis conſtat, luctum accepit, quem filioli obitus mœſtiſſ. dum ſocero exequias Freibergæ faceret, admodum auxit. Omnes tamen animi ſolicitudines adeô concoquere, & adverſæ fortunæ inſultus perferre potuit, ut ubique patientia & vera conſtantia eluxerint, adeoque nihil ferme in Rectoris noſtri perfectione deſideremus.

Quæ cum ita ſint, facile jam intelligitis, Auditores omnium profeſſionum ac ordinum Honoratiſſimi & ornatiſſimi, in hoc deſignando Rectore minime aberraſſe, noſtrâ judicia

con-

onsiliaque, sed directa fuisse ad incrementum
Reipubl. nostræ literariæ, dignitatemque ac de-
usAcademiæ,& omnino ad gubernationem hu-
is semestris hiberni commodam, rebusq; com-
iunibus fructuosam & salutarem. Quod ergo
eliqvum est, vobis primum, Academiæ Pro-
eres honoratissimi & spectatissimi, Rectorem
gitimè designatum publicè totius Universita-
s nomine majorum more commendo, peto-
ue à vobis, ut in tam difficili administratio-
e, hoc præsertim tempore, favore & bene-
olentia ipsum vestra complectamini, studio
onsentiente tueamini, autoritate fulciatis, ac
uasi armetis, denique fidei & observantiæ
udio vero colatis & honoretis. Vos autem,
obiles & Studiosissimi Juvenes, similiter pu-
ico nomine hortor, moneo obtestorque, ut
estra obedientia ac morigeratione, quæ o-
nis felicitatis mater est, studioque placide
tranquille vivendi allevetis Magnifico Re-
ori onus gubernationis gravissimum, quo in-
lligat ipsius Magnificentia, eos sese habere-
risdictioni suæ suppositos, qui & pati possint
regi legum disciplina,& agnoscant propensio-
m veræ erga se benevolentiæ,& probitate ac
nquillitate vitæ gravissimas Rectori molestias
levio-

leviores tolerabilioresque reddere velint & ſtudeant.

Cumque Dei clementiſſimi etiam altera centum annorum periodus jam completa ſit, quo tempore Academia hæc alma ſapientiæ Mater, & nutrix Studiorum, optimis auſpiciis ante annos ducentos ex Pragenſi initium cœpit, conſtitutione ejus publicata feria ſecunda poſt primam Dôminicam Adventus Domini, horam circiter nonam, anno milleſimo quadringenteſimo nono, noſtri muneris eſt, quemque ſuo loco, & quantum cujusq; fert facultas, tam illuſtre, tam immenſum Dei beneficium grato animo agnoſcere, & voce pia ac jubilo ingeminato extollere & prædicare. Tibi ergo, æterne, vere ac vive DEUS, Pater Domini noſtri JEſu Chriſti, conditor cœli & terræ & generis humani, una cum Filio tuo coæterno & Spiritu Sancto gratias agimus toto pectore, quod, tanto tempore Academiam hanc florentem eſſe, volueris, ac contra varia pericula potenti tua dextra protexeris hactenus clementiſſimè; quod lucem Evangelii tui è tenebris ſuperioris ſeculi miniſterio magni *Lutheri* erutam & accenſam inter nos conſervas incorruptam; quod ingenuis ſimul artibus ac diſciplinis ſuum nitorem aſſeris,

, quod *Illustrissimorum Principum Elector. Saxoniæ* imum ita clementer regis, ut ad ornanm & amplificandam hanc Scholam nihil i reliquum faciant, quod denique *Docto*r *ipsos & Præceptores* tuo Spiritu Sancto ita ibernas, ut munus docendi forti pectore agrediantur ac sustineant. Tuum, ô DEIS, hoc opus est, tuum munus. Te poro ardentibus cordis gemitibus oramus, ut, qui tantorum beneficiorum, quibus inde usque ab initio nos cumulas, dux es, eorundem consummator quoque esse velis. Tu hoc doctrinarum domicilium augustissimum, atque in eo veræ Religionis, honestarumque artium Studia per tertium etiam seculum, quod immensa tua bonitate ac misericordia modo init, bono posteritatis, si qua futura est, clementer conserva, nec unquam nos orphanos in hoc furore Diaboli & mundi tempestatibus relinque. Defende ac protege *Serenissimum Principem Christianum II. Electorem Saxoniæ*, Nutritorem nostrum benignissimum, una cum *conjuge Regia*, cum *matre* Serenissima, & *Fratribus Illustrissimis, Ducibus Saxoniæ, Dn. Johanne Georgio*, Academiæ hujus *Cancellario*, & Conservatore unico, & *Domino Augusto*, *Dominis nostris clementissimis*, eorum Celsitudinem, ô DEUS, omni-

omnibus tum animi tum corporis bonis magis ac magis locupleta, sanctoque tuo præsidio quam potentissimè tuêre, ut tua gratia sub beneficentissimi hujus Magistratus tutela & præsidio, diu otio hoc literato perfrui, operasque nostras singuli, tam docentes, quam discentes, vera pietate, animorumque conjunctione obire, & exsequi possimus. Largire pacem & tranquillitatem his regionibus, reprime rabiem & insidias hostium Ecclesiæ, tolle aut mitiga calamitates publicas & privatas.. Atque hæc omnia propter Nomen tuum sanctum fac, ut ipse, tum in hac vita, tum futuri seculi sempiternitate, à nobis perpetuo celebreris, nosque tua benignitate & pietate & in hoc mortali curriculo, & in illo beatæ immortalitatis circo maximo, perfruamur.

Dixi.

RE-



RESPONSIO MAGNIFICI DOMINI RECTORIS,

Præstito prius, pro more Academiæ, juramento

NEque ita ſum ἀφιλότιμος, & prorſus abjecti humiliſque animi, ut nullum me virtutum decus, nulla honorum dignitas & amplitudo moveat, neque ita rurſum ineptus, ut mihi valde placeam, & ob delatos honores ambitioſe me efferam, quorum illud non careret reprehenſione apud bonos ſapientesque viros, hoc vero odium etiam jure mereretur. Sed ita ſum affectus, ut & optimorum quorumque judicia, & ſimul vim fortunæ reputem, ac quam fragilia omnino & incerta, milleque caſibus ſubjecta ſint omnia, cogitem; propterea mihi vel nihil, vel certe parum arrogem & tribuam. Itaque ſi negem, magnopere gratam jucundamque mihi fuiſſe orationem, quam modo, honoris mei cauſa habuit Vir Ampliſſimus & Clariſſimus *Dominus D. Chriſtophorus Bruno* in Majori Beſſau, Medi-

MedicæFacultatis Professor &Senior dignissimus compater,collega,fautor& amicus inter optimos præcipuus & honorandus, qui operam hanc inaugurandi me Rectorem ac commendandi pro more haud gravatim, pro sua singulari humanitate, in se suscipere voluit, profecto parum civilis, imo parum candidus videar. Idsane confiteri me,oportet, commendationem hanc eo gratiorem acceptioremque mihi fuisse,quod profecta sit ab eo Viro, qui vobis omnibus ratione doctrinæ & eruditionis est notissimus,vitæq; integritate, & laude virtutum spectatissimus,& qui non ab aliis audita commemoravit, sed ea, qnæ ipsi & multis aliis satis cognita sunt, & penitus explorata. Nam quanta inter *parentes* piæ recordationis intercesserit animorum conjunctio & familiaritas, grato animo adhuc recordor : Quanta autem inter nos à primo fere ætatis flore, nemini est obscurum. Et certe plurimum hac commendatione effecit Vir clarissimus cum apud studiosissimam juventutem, (ut equidem opinor) quam inde spero multo tranquilliorem fore, & magis obedientem atque morigeram, tum etiam apud me ipsum. Fateor enim ingenue, animum quasi ex hac oratione mihi additum esse, ut eo alacrior ad capessendam Rempublicam

hanc

hanc Literariam, subeundasque molestias, quæ in hoc rerum statu, & in tanta temporum difficultate objiciuntur & crebræ, & graves, jam deinceps videar mihi accessurus. Multas sane & magnas difficultates, multa impedimenta in quavis gubernatione, quæ etiam placida & tranquilla admodum videtur, objici, qui aliquam negotiorum publicorum partem attingunt, re ipsa experiuntur universi. Quam multa enim quæso accidunt prorsus sæpe insperata & improvisa humanæ sapientiæ, ex quibus extricare se nemo facile possit? Atque hæc interdum adeo gravia sunt, ut, qui in gubernatione sunt constituti, sæpenumero desperatione quadam existiment, penitus esse abjiciendos remos & vela, & prorsus fugiendas hominum societates, omniumque civilium officiorum administrationes. Vident enim, se, dum optime de rebus communibus mereri volunt, nihil pro beneficiis aliud, quam calumnias, odia, pericula sibi accersere, nihil propterea suis laboribus maximis, aut parum admodum proficere. Hæc quidem, cum, accidere in gubernationibus, animadverteret magnus ille Philosophus, Socrates, qui Apollinis oraculo sapientissimus fuit judicatus, ad Reipubl. administrationem adhiberi se, minime passus est,

atq; ita professus exemplo fuit & sententia, quod postea Epicuri de grege porci inter dogmata sua retulerunt, non esse nimirum partem civilium officiorum ullam attingendam. Et superioribus seculis, memoria patrum, Monachi, Epicureorum exemplum egregium egregie imitati, civilibus oneribus, nescio, quo religionis prætextu, prorsus excussis in sua se latibula, svavem quietamque vitam sine interpellationibus degentes, abdiderunt. Quid igitur agendum, cum tantas, his maxime temporibus, in humana societate, videamus, esse rerum confusiones, tantam animorum dissensionem, accedente præsertim juventutis lasciva petulantia fere intolerabili. In claustrane propterea ignavorum fratrum exemplo cuticulæ curandæ causa nos abdemus? Minime verò. Nam cum *DEO Optimo Maximo* ita visum sit, dabimus operam, ut, quantum per ejus auxilium & gratiam licebit, nostro fungamur officio. Neque dubitabimus, obsequentes & morigeros fore adolescentes Studiosos, adductos præsertim gravissima admonitione Domini commendatoris nostri, Viri clarissimi. Atque ut nullum in hoc genere laborem aut molestiam detrectem, facit Academia ipsa, Mater mea dulcissima, imò etiam hæc patria mea, quæ me produxit in lucem,

quæ

quæ in hunc usque temporis articulum me aluit, ſuſtentavit, & honoribus dignitatibusque auxit & ornavit. Atque hinc omnia, quæcunque hujus Academiæ cauſa, vicisſim facere potero, libenter in me ſuſcipio, nec quicquam difficultatum, laborum, periculorum illius cauſa defugere volo.

Quia a. nunc per D. O. M. gratiam immenſam *ſecundum à fundata hac Academia ſeculum* declinare, &, intra unius duntaxat ſeptimanæ ſpatium initium *novi & tertii ſeculi* appropinquare, animadvertimus, utique noſtrarum erit partium, ut maximas & immortales agamus gratias ſempiterno Deo Trino & Uni, pro hoc præclarisſimo, non dicam hujus Civitatis tantum, ſed totius regionis theſauro, quem per integros ducentos nunc annos pro ſua infinita bonitate ſalvam & incolumem conſervare voluit. Et requirit ipſa pietas, ut *pro felici auſpicio novi & tertii hujus ſeculi* eundem præpotentem DEUM votis ſupplicibus imploremus, ut ſua paterna protectione, & gratia divina inpoſterum quoque apud nos manere, nobisque omnibus ſuæ gratiæ Spiritu adeſſe, denique diſcentium docentiumque ſtudia & actiones dirigere velit, ad ſui Divini Nominis gloriam ſempiternam, Verbi Divini & bonarum artium conſervationem & propugnationem, Eccleſiæ & Scholarum incrementum, &

 pro-

proximi utilitatem. Ad nos quod attinet, dabimus omnes ac singuli operam diligentem, ut nunc præsentem Academiæ statum, si non meliorem, quod vix sperandum erit in hac mundi ultima senecta, attamen non deteriorem gratæ posteritati relinquamus. Verum, ut hoc ita fiat, necesse est, ut & nos cum *secundo* nunc fere peracto, aut potius jam exeunte *seculo* deponamus omnia, quæ impedimento esse possunt, quo minus gubernatio commoda, aut studia felicia esse possint; & unà cum novo seculo ac *Jubilæo* nostro (non Mosaico, non Papistico, ob quæstum superioribus seculis introducto, sed vere Christiano ad D. O. M. gloriam, & sempiternam memoriam *Illustrissimorum Fundatorum & Conservatorum* Almæ Universitatis nostræ unice directo) novam etiam vitam, novosque mores inchoëmus, omniaque dirigamus ad utilitatem & dignitatem Academiæ, matris dulcissimæ. Necesse insuper est, ut illi, qui institutione, doctrina, autoritate aliis præesse debent bono & laudabili exemplo iis præluceant, concordiam, omnis felicitatis humanæ matrem, inter se omni studio alant ac conservent, atque ut inter eos benevolentia & amore non simulato & ficto consociati sint animi; sit onsiliorum & actionum liberalis & candida apertaque communicatio; agat unusquisque suo loco sedulo & diligenter id, quod scit sui mune-

ris

ris & officii esse, aliosque in officio & statione sua non impediat, nec sese immisceat aliis rebus ad se non pertinentibus, nec simultatibus non necessariis occasionem præbeat, sed, quantum potest, opis & auxilii ad res communes afferat, nullius utilitatem quavis ratione intercipiat, denique omnia ad publicum bonum summæ contentione dirigat. Qua re naturæ nostræ nihil est, aut excogitari potest convenientius. Nam ad hunc finem linguam, aures, oculos, pedes, & alias denique corporis omnes partes idoneas & aptas à natura, provida matre, accepimus. Et decet hoc imprimis honoratissimum ordinem nostrum. Exigunt hoc à nobis leges tam humanæ, quam Divinæ, flagitat pietas, requirit id nostra in hac mortalitate infirmitas: docet, & monstrat id ipsum digito quasi natura; quæ multas & illustres imagines mutuæ conjunctionis cum in cæteris rebus variis, tum in corporibus nostris depinxit, ut quasi familiares & domesticos præceptores atque magistros nobiscum semper circumferamus. Nam videmus, nostrum corpus ex diversis humoribus, sangvine, bile & pituita constare; & tamen in illa diversitate humorum concordia & societas ubique observatur, dum mirabili temperamento commisti inter se illi succi, incolumitatem, vitam & salutem

 cor-

corporis tuentur. Cum vero temperamentum hoc humorum perturbatum aliqua ex parte est, valetudo afflictatur, morbique vehementes & graves statim oriuntur; salus corporis periclitatur, membra denique omnia viribus & robore destituuntur. Ita nimirum cernimus, omnem sanitatem contemperatione humorũ contineri. Sed multo adhuc illustrius in membris exterioribus, quæ oculis cerni possunt, documentum fraternæ communicationis & concordiæ nobis proponitur. Hæc enim, etsi diversa sint, tamen mirificam quandam inter se consensionem & societatem servant, & mutuas quodammodo inter se tradunt operas; alia aliis inserviunt, in commune omnia consulunt atque laborant; & hac consensione & mutua ope singularum partium vigor atque integritas conservatur. Pedes universum corpus ferunt, quo est necesse. Oculi, tanquam speculatores in sublimi collocati viam demonstrant. Manus laborant, cibum & potum ori admovent, dentes conterunt, ventriculus cibum acceptum coquit, & succum illum vitalem conficit, eumque, tanquam bonus pater familias in singula membra dispensat, & distribuit proportione Geometrica. Sic fit, ut universum corpus recte habeat, cum omnia membra, & partes omnes conspirant, & consentiunt in communem salutem,

Ad


Ad eundem plane modum etiam nobis, qui ſumus unius corporis Academici membra diverſa, faciendum eſt; ſi modo Academiam nobis concreditam, fideique noſtræ à majoribus noſtris relictam, non deteriorem gratæ poſteritati linquere, ſed (ut par eſt) ſalvam florentemque per manus quaſi tradere nobis propoſitum eſt. Ad nobiliſſimam autem & ſtudioſiſſimā juventutem non utar in præſentia cohortatione prolixa, eo quod hactenus, ab eo potiſſimū tempore, quo ſingulari Dei providentia (in cujus benigniſſima voluntate acquieſcere volui) hæc ampliſſima longeque digniſſima gubernatio Scholaſtica mihi eſt commiſſa, viſi mihi ſint plerique placide & modeſte vitam agere, ſtudiumque obſequendi communibus noſtræ Academiæ legibus non obſcure declarare. Quos univerſos ac ſingulos propterea hortor & moneo, pro mea ſingulari erga ipſos affectione, ut, quemadmodum hactenus fecerunt non ſine ſingulari bonorum præconio, ita in poſterum quoque ſe morigeros & obedientes nobis præbeant, & nobiscum una rei noſtræ literariæ ſalutem, incolumitatem, & bonam exiſtimationem pro viribus tueri & defendere ſtudeant. It enim fiet, ut in ſumma felicitate non ſolum jucundam & dulcem, ſed etiam DEO gratam & acceptam vitam agant; certa cum ſpe conſequendi

 veram

veram laudem atque decus cum summa dignitate & splendore gloriæ conjunctum. Neque dubito, concordiæ, & tranquillitatis publicæ amantes adolescentes, quibus *inclyta Academiæ* fama publica ac bona existimatio est cordi, facile admonitioni huic paternæ locum daturos esse.

Quod vero restat, Viri Reverendi, Amplissimi, Clarissimi, omniumque ordinum ac dignitatum præstantissimi, Domini Patroni, Fautores & Amici honorandi, Vestris Reverendis & Eximiis Dignitatibus gratias tantas, quantas summa hæc vestra benevolentia meretur, habeo agoque. Nam me summo beneficio affectum agnosco, quod præsentia sua honorifica hodiernam hanc festivitatem ornare voluerunt. Declarant sane hac in re & propensam in nos voluntatem, & ostendunt, Academiæ nostræ dignitatem & existimationem sibi curæ esse. Pro quo humanitatis & eximiæ benevolentiæ officio nos vicissim omnibus ac singulis hoc pollicemur nos daturos operam, ut id vicissim, quocunque officii genere poterimus, ab unde, si occasio data fuerit, compensemus,

MA-



MAGNIFICO HUIC DN. RECTORI.

CHristifer ô *Meurere*, Academiæ Sceptifer idem,
Inter Elysterides conspiciende Deas.
Maxima laudandi laus est, laudarier illi,
Qui per laudatos laudatis honora capit.
Non magis ergò tua gaude de laude, quadrigis
Quam modo cœlivolis fama superba vehit;
Quam laudatricem Brunonis vivere Clio,
In cujus laudes vix retinere manum est.
Nitereque his alias laudes super addere, rursus.
Laudibus ut Rector condecorêre novis.
Et laudate tuo cum laudatore valete,
Atque valere alios efficite bonos.

Gratulor Simon Malsius
J. U. D.

Ad mores veteres *duum-Virorum*
Qua splendoris & eruditionis;
Ad priscam faciem *duum-Virorum*,
Qua virtutis itemque dignitatis
Par plane mihi: sed tamen videntur
Certando satis æmuli. *Professor*
Est uterque, est uterque *Doctor* artis

Crebro morbifugæ, decusque Hygeæ
Summum, Lipsiacæ ille Civitati
Bruno præfuit optimus medendo
MEURERUS gemina præest eidem
Urbi dexteritate, Langvidosque
Hospites domui peculiari,
Inditos reficit bonis medelis
RECTOR ante biennium Serenus
In Cives placidos, sed & Severus
In cives rabidos fuit, Camænæ
BRUNO magna meæ meæque Hygeæ
Prora & portio, subsequi favente
MEURERUS quoque sorte gestit; imo
Nomen CHRISTOPHORO est utrique. Quique,
Quod nunquam queat hicce prædicari,
Aut istis levibus nimis Phaleucis,
Habet, nec liceat tibi *Secundo*
Commendasse recente voce *Seclo*
Virum *Magnificum* atque *Jubilæo*
Primo Magnificum Virum? Valete
,Malè, qui malè vultis huic utrique
„ Verum qui bené vultis huic utrique:
„ Ætatem bene perpetem Valete.


& Salvete

à V. M. & A.

dedidiss.

M. Valentino Hartungo,
Lipsiensi, P. L.

Jo-





Insignia Academiæ Lipsiensis
Quatuor illius Facultatum.

JOHANNIS FRIDERICHI, FRANCI,
Historiar. & Linguæ utriusque Professoris Publ.
De
Origine, incrementis atque fortuna
ACADEMIÆ LIPSICAE

PANEGYRICUS SECULARIS

dictus
In Æde Paulina
DIE NATALI CCmo
Ejusdem Academiæ,
Qui incidit in diem IV. M. Decembris
Anni a nato CHRISTO
M DC. IX.


jam ad exemplar, quod Lipsiæ, Anno illo Academiæ Natali excusum erat, denuo, ad renovandam illius memoriam, & felicissimum instantem diem Natalem CCCmum precandum & optandum,

è museo

HIERONYMI DICELII,

Smalcaldia Franci,
Mathem. Profess. Publ. extraord. Collegii Ducalis Senioris, & h. t. Facult. Phil. sextum Decani
Recusus
in lucem publicam prodiit

LIPSIAE,
Impensis Hæredum Grossianórum & Braunii,
Anno, cujus numeri radix □41.+28.



Musarum Patronis Fautoribus, ac Filiis,
&, qui forte erit adhuc,
Lectori pio, candido, sincero ac benevolo,
Salutem, & si quid illa desiderabilius,
Editor.

CUm exoptatissimus dies ille, quo ALMÆ MATRIS NOSTRÆ LIPSIENSIS ACADEMIÆ NATALITIA, Deo annuente, veniant iterum celebranda, quotidie incipiat appropinquare, non absre factum hoc putandum, quod cum Grossianis hæredibus Johannes

Fridericus Braun, Bibliopola noſter Lipſienſis induſtrius, illa monumenta, quæ ante centum annos, in celebratione ſecularis diei Academici edita, ALMA MATER NOSTRA noſtræ relinquere voluit memoriæ, jam ante inſtantem diem illum ſecularem, denuo, me autore, publici facere voluerit juris. Nullum dubium, quin omnes ac ſinguli, quotquot hic publice ac privatim ſtudioſam juventutem informare ſatagunt, mecum ſibi perſuadere valeant, Braunium cum hæredibus Groſſianis laudatis, eum feciſſe in finem, ut Nos

omnes ac ſinguli, quotquot in hac urbe & Cives Academici & Oppidani (& his quoque ALMA NOSTRA MATER eſt quam maxime proficua) vivimus & ſumus, DEUM toto pectore rogemus, piisque quotidie optemus, precemur votis, quo DIES ILLE ACADEMICUS SECULARIS, non ACADEMIÆ ſolum, ſed TOTI QUOQUE REIPUBLICÆ EO FELICIOR AC AUSPICATIOR AFFULGEAT. Itaque, DEUS CLEMENTISSIME, annue piis noſtris Votis, Tuaq; fac potentia, qua regis ac gubernas omnia, ut DIES ILLE SECULARIS, QUARTUS nempe DECEMBRIS, ANNI

 poſt

post millesimum ac septingentesimum NONI, FELICISSIMUS AC AUSPICATISSIMUS, ET SI QUID EXCOGITARI MELIUS POSSIT, Nobis ORIATUR ac ILLUCESCAT: In hujus quoque Centenarii, & Temporum, si quæ erunt reliqua, decursu, conserva, clarissimam Verbi Tui Sacrosancti in his oris Lucem: Tuere militantem inter truculentissimos hostes Tuam Ecclesiam: Spiritu sapientiæ & roboris indue ac protege Potentissimum ac Serenissimum Regem ac Electorem, FRIDERICUM AUGUSTUM, Dominum nostrum

Cle-


Clementissimum, cum unico filio, Hærede Regio ac Electorali, FRIDERICO AUGUSTO, reliquaque tota Regia, Electorali ac Ducali Saxonica familia, omnesque tum AULÆ Dresdensis, tum cæterarum DUCALIUM AULARUM Consiliarios Regios, Electorales ac Ducales. Da, CLEMENTISSIME PATER, ut ex stirpe hac Saxonica Regia, Electorali ac Ducali prodire nunquam desinant, qui continua & perpetua serie, & hoc nostro seculo, futurisque temporibus, NOMINI TUO toto ac sincero corde

ſervire, Eccleſiæque Tuæ, Muſarumque filiis optatum hoſpitium præbere ſint ſolliciti. Hanc quoque Urbem & Rempublicam, inque illa tum e CATHEDRA, tum e SUGGESTU Docentes publice cum Auditoribus, ô BENIGNISSIME PATER, reſpice; Daque porro, ut ſinceræ Theologiæ, ſanæque Philoſophiæ Studia perpetua dehinc floreant, & ex hac Academia, ſicut hactenus, ita etiam poſthac, Eccleſiæ & Scholæ bene conſtitutæ, in omnes Europæ regiones, tanquam Coloniæ, ad inſignem NOMINIS TUI gloriam, plurimorumque hominum ſalutem propagentur. Denique a Nobis, imo univerſa hac regione,


quæ

quæ jam jam nobis imminere videtur, peſtem, famem, bella, diſcordiam CLEMENTISSIME averte, arce, ac Nos omnes & ſingulos in tua conſerva veritate: Sic in jubilæo noſtro futuro Academico Tibi, ÆTERNE DEUS, gratias, quas in hac poſſumus mortalitate, agemus, habebimus immortales, imo vere jubilabimus: Sic & NOMEN Tuum Divinum in Cœlis, ſi TE a facie ad faciem coram olim, quando TIBI, IMMORTALIS DEUS, eo nos vocare fuerit viſum, aſpiciemus, cum omnium Sanctorum ac Angelorum choro, æternum celebrabimus; tuncque beati dicemus, TI-

BI, DEO PATRI, TIBI, DEO FILIO, TIBIQUE SPIRITUI SANCTO, PRO INFINITIS IN HIS TERRIS COLLATIS BENEFICIIS SIT HONOR, LAUS ET PERENNIS GLORIA, IN SECULA SECULORUM, AMEN.



MA-



MAGNIFICIS, REVERENDIS ET AMPLISSIMIS VIRIS,

dignitate, ſapientia, rerum uſu atque autoritate excellentisſimis & præſtantiſſimis;

RECTORI,

DECANIS, SENIORIBUS NATIONUM, ET CÆTERIS PROFESSORIBUS

inclytæ Univerſitatis Lipſicæ;

Dominis, Collegis & amicis obſervandis,

SAL. D.

JOHANNES FRIDERICUS,

Linguæ utriusque & Hiſtor. Profeſſor.

Duo ſunt ornamenta prorſus inſignia; Magnifice Rector, vosque cæteri eunctarum Professionum Excellentisſimi & honoratisſimi viri; quibus Domum inclytam MARCHIONUM MISNENSIUM, & has ei ſubjacentes oras, uno pene eodemque tempore, miſericors & præpotens Deus, ex immenſa gratia, nobilitavit, auxit, illuſtravit. *Unum, idque multo maximum & ſplendidisſimum,*

eſt

est Dignitas ELECTORATUS SAXONICI; quam primus obtinuit, ex hac generosissima stirpe, FRIDERICUS, cognomento BELLICOSUS, Thuringiæ Landgravius, Misniæ Marchio, Saxoniæ Palatinus; Princeps excelsitate animi & rerum gestarum magnitudine clarissimus. Hunc enim (vacante, post ALBERTI III. Anhaltini obitum, Septemviratu Saxonico) cæteris Imperii Principibus, de honore eo acriter inter se certantibus, propter spectatam virtutem, & animi magnitudinem incredibilem, merito prætulit Imperator SIGISMUNDUS; eique nomen & Titulum Ducis SAXONIAE dedit, & annexam potestatem attribuit amplissimam; ut & ENSEM gestaret, & Imperii ARCHIMARSCHALLUS nominaretur, & cum aliis VI. Viris Principibus, Imperatorem & Regem Romanorum eligendi, jus potestatemque haberet. Quæ res in Pannonia sive Hungaria ab Imperatore peracta est; Ubi laudatissimo Principi nostro primum Presburgi, Nomen & Titulum DUCIS SAXONIAE & ELECTORIS Imperii, deinde INSIGNIA Budæ dedit; anno CHRISTI M.CCCC.XXVI.

Alterum ornamentum, quo velut illato lumine, Regio hæc universa illustrata est, nostram hanc dico ACADEMIAM;

quàm

quam ex dissipatione Pragensis Academiæ, idem ille Princeps sapientissimus collegit, & sua quasi manu in hanc oram & urbem Misniæ introduxit; paulo ante, quam Electoris Nomine & Titulo splendidissimo ornaretur: anno nimirum M. CCCC. IX.

Quanquam autem cum Electorali Dignitate amplissima, Scholam seu Academiam minime conferri posse, sat scio: *Est enim, sive spectetur Autoritas, seu publici consilii Potestas, secundum Nomen Regium, hodie nullum in terris amplius, & quod comparari cum Electoris Magnitudine ac Splendore possit*: Tamen & Decus insigne est, Academia recte constituta in illustri Principatu; & fons utilitatum multiplicium, quæ inde in Ecclesiam & Rempubl. uberrime promanant. Tolle enim è civili societate Scholas, Gymnasia, Academias: Quid aliud paulo post Principatus erit, quam corpus sublime & formosum, sine mente, sine animo? Quod satis hodie experiuntur infelicissimæ gentes sub Otthomannico jugo; apud quas, sublatis Scholis & eversis Academiis, nullum jus, nulla religio superest amplius; sed pro Tyranni truculentissimi libidine, & furore barbarico, geruntur omnia.

Magnum est ergo Præpotentis Dei benefi-

neficium, quod regionem hanc inclytam non solum ENSE munitam, hoc est, firmatam Autoritate atq; Potentia; sed & studiis Literarum & Artium honestarum egregie condecoratam esse voluit: E quibus tandem etiam Divini Verbi Lux effulsit clarissima, quæ radios sapientiæ cœlestis splendidissimos, in omnes adjacentes oras, imo & Terras exteras, longe lateque diffudit. Et gratiæ Deo æterno debentur a nobis immortales, quod & Dignitas Septemviralis Eminentiæ, jam ad annos prope CC. propagata sit, in hac stirpe inclyta; Generosissimorum sanguinis Saxonici Principum & Ducum successione continua perdurante; Et simul inter tot clades, imo funera plurium aliarum Academiarum, in hunc usque diem, per duo secula, felicissime conservata hæc alma Lipsensis studii Universitas; ut non solum sit Officina celebris studiorum liberalium, & Artium earum, quibus sapientia continetur humana; sed & nobile † Φυτευτήριον, hoc est, Seminarium Ecclesiæ Christi; unde salutares Plantulæ innumeræ, ad incrementa regni cœlestis, subinde efflorescunt.

† *Seminarium.*

Hujus beneficii multo maximi consideratio, vobis quoque non ita pridem (Magnifici & honoratissimi viri) causam indi-

cendi

cendi JUBILAEI ACADEMICI, merito præbuit; ut, decurso jam altero a condita hac Academia seculo, ante omnia, vota precesque ad Deum, pro conservatione liberalium studiorum, in publica solennique ordinum omnium congregatione, fierent; Deinde vero etiam laudatissimorum inclytæ Stirpis Saxonicæ Principum, Fundatorum ac Conservatorum hujus Academiæ benignissimorum, merita in rem literariam amplissima, studiosæ ac literatæ juventuti in memoriam, submissa & debita gratitudine, revocarentur. Idque vestrum institutum, pium & laudabile, non modo comprobavit omnibus modis Serenissimus Saxoniæ Dux & Elector, CHRISTIANUS II. &c. Patronus & Mæcenas hujus Academiæ benignissimus; Sed ipsam quoque secularem festivitatem, missis Legatis, viris nobilissimis, splendidissime ornavit, & munificentissime auxit, decoravit.

Recordari autem potestis, fuisse tum, in illa Panegyri, dicendi partes aliquas, vestra voluntate, mihi quoque commissas: Non quod is ego essem, qui præ aliis viderer aliquid in eo genere posse: Sed quod ratio publicæ Professionis, quæ mihi demandata est in hac Academia, istam mihi præcipue personam imponeret. Voluistis enim, a me brevem quasi texi historiam

hujus Academiæ, id eſt, illius commemorari ortum, incrementa, fortunamque † ἐφ' ἑκάτερα: Ut, qui ſtatus rerum fuerit in Univerſitate hac, jam inde ab initio, usque ad hanc noſtram ætatem, perſpicere aliquo modo Adoleſcentes ſtudioſi, atque intelligere poſſent; imo & alii, quibus ratio conſtitutionis hujus Academiæ forte ſatis explorata cognitaque non eſt. Et ſane conatus ſum, veſtræ in ea re ſatisfacere voluntati honeſtiſſimæ, atque Univerſitatis Hiſtoriolam (cujus prima quaſi lineamenta jam ante in Academico Programmate duxeram) ex monumentis publicis, quam breviſſime concinnatam, in Academicum Theatrum producere. Sed quia copioſum erat hoc argumentum, & latiſſime per duo Secula diffuſum; ipſa me neceſſitas coëgit, poſteriorem maxime partem Orationis, in medio quaſi curſu, abrumpere. Non enim permiſit temporis anguſtia, ut vel inſignia iſta ornamenta, quæ præ multis aliis Univerſitatibus, ex prima conſtitutione, quaſi peculiaria habet hæc Academia, dicendo ſingulatim (quemadmodum par erat) explicarem; vel obiter ſaltem merita perſtringerem, Illuſtriſſimorum Saxoniæ Ducum & Electorum, in Academiam hanc ampliſſima; vel Doctorum (qui nos anteceſſerunt) commemo-

† *In utramq; partem.*

memorarem publicos, viros in omni genere doctrinarum celeberrimos; vel denique recenserem adversitates, jacturas, clades, quas diversis temporibus perpessa est Academia: Præter alia, id genus, sexcenta, quæ digna memoratu passim in hujus argumenti explicatione sese offerebant. Et hæc quidem omnia, tam late fusa & dispersa, peculiari libello potius, quam Panegyricæ huic Orationi convenire, mihi visa sunt. *Unde & consilium mihi natum eo tempore, de condendis FASTIS seu ANNALIBUS hujus Academiæ; in quibus (si vita, misericordis Dei gratia, mihi superfuerit) publice propediem exhibebo, non modo seriem continuam eorum, qui rexerunt, illustrarunt, auxerunt quoquo tempore Universitatem hanc; sed & designationem perpetuam, aliarum quarumcunque rerum in Academia memorabilium; erutam ex variis Academiæ monumentis, & jam inde a fundatione prima, ad hac usque tempora, continuo CC. annorum spacio, deductam.* Quod consilium meum non existimo sententiis vestris adversum fore; cum sit directum ad decus inclytæ hujus Academiæ, & illorum, qui de ea mereri præclare voluerunt, laudem perpetuam, & jucundam ac gratam memoriam. Quin spero ac confido potius, adjumenta ad

eam rem mihi non defutura a Vobis ſingulis & Univerſis; ſi quid fuerit, quo FASTI hi ACADEMICI, quoquo modo juvari, augeri, ornari poſſe videantur.

Id vero, quicquid eſt, quod dixi publice in JUBILAEO ACADEMICO, veſtræ jam Cenſuræ, Magnifici & omnium Ordinum honoratiſſimi Viri, lubens ſubmitto. Qui enim mihi tunc autores fuiſtis, imo mandatores, ut dicendi provinciam iſtam in me ſuſciperem; eos Cenſores jam defugere non debeo. Accipite igitur & judicate; ſed æquis (ut ſoletis) animis: Ac quo ſtudio, qua benevolentia me hactenus complexi eſtis; Ejus (in me) † ζώπυρα, ſi ita mereri videbor, etiam in poſterum conſervate. Meæ vicisſim erga vos obſervantiæ, hoc, quod videtis, SEMPITERNUM MONUMENTUM eſto. Bene valete. Ex Phrontiſterio ad D. Nicolai, Die IV. M. Maii, Anno CHRISTI M. DC. X.

† *Igniculos.*

PANE-



PANEGYRICUS SECULARIS,

Complectens

ORIGINEM, INCREMENTA ET FORTUNAM Academiæ Lipsicæ.

Autore

JO. FRIDERICHO, FRANCO, Professore publ.

ILluxit tandem, divina fortunante gratia, post tantam omnium expectationem, atque vota nostra multiplicia, festus ille dies auspicatissimus, quo inclyta hæc Academia, ante annos ducentos, in lucem quasi primum edita, hoc est, felicissimis auspiciis magnanimi ac fortissimi Principis, FRIDERICI, cognomento BELLICOSI, Primi ex inclytis Saxoniæ Ducibus, Misniæ Marchionibus, Septemviri & Electoris, solenniter in hanc Urbem introducta, ac constituta est. E cujus diei Natalitii recordatione jucundissima, & celebratione solenni, tantum abest, ut

 vestris

vestris animis (Auditores omnium ordinum eminentissimi & honoratissimi) aliquam existimem molestiam oboriri posse; ut etiam hi ipsi parietes exultare gaudio, imo hæc Urbs universa in lætitiam & plausum effusa mihi videatur. Revocat enim nobis hic ipse dies in memoriam æterni ac præpotentis Dei misericordiam & bonitatem immensam, quam Urbi huic inclytæ, imo toti Provinciæ & Ducatui florentissimo declaravit; accenso in his oris Lumine doctrinarum & artium clarissimo; cujus splendore non solum illustrata Respublica, sed etiam e densissimis tenebris idolomaniæ pontificiæ erepta Ecclesia, atq; adeo Misnia universa, præ cæteris plerisq; Germaniæ regionibus, egregie ornata, aucta & nobilitata est. Erat quidem, ante id tempus, provincia hæc ornamentis pluribus condecorata amplissimis; quibus si non superior aliis Imperii Romani ditionibus, attamen facile par esse poterat.
Prin-

Principes habebat virtute atque autoritate eminentes in augustissimo Imperii Synedrio; qui & prudentia sua Rempublicam optime constituerant, & fortitudine atque potentia satis adversus vim quamcunque ingruentem muniti, septique esse videbantur. Erat sacrorum ordinum (prout tempora illa ferebant) magna copia; monasteriisque & Episcopatibus obsessa & occupata pene omnia cernebantur. Et habebat inprimis hæc ipsa Urbs jam tum ornamenta sua atque adjumenta insignia; templa nimirum magnifica, cœnobia opulenta, arcem opere hominum atque industria præclare munitam. Erat Lipsia mœnibus & fossis circundata, armata legibus, septa judiciis: Et præter hæc omnia, celebre jam introductum erat Emporium in hanc Urbem, ex quo non parum incrementi simul & splendoris Respũblica hæc capiebat. Verum in his tot & tam præclaris ornamentis, unum adhuc præcipue desiderabatur; nem-

pe Musarum sive Literarum decus, quo tanquam splendidissimo sidere tota civitas, finitimæque regiones illustrarentur. Nam proprium & peculiare id habent bonæ artes & literæ, ut in obscuro non delitescant, nec steriles & ingratæ sint erga Nutritios & hospites suos; sed tum ad Ecclesiæ orthodoxæ propagationem, tum ad Reipublicæ gubernationem laudabilem ac conservationem, præsidii plurimum atque adjumenti afferant. Quam rem argumentis & rationibus hoc loco demonstrari necesse non est; cum omnium temporum historiæ testentur, Respublicas illas diutissime semper floruisse, quæ optimorum studiorum diligentem curam habuerunt; & in quibus ingenuarum Artium atque Linguarum Scholæ florentes extiterunt; contra vero, quæ eas neglexerunt, aut nefarie exterminarunt, res suas parũ feliciter administrasse, imo prorsus tandẽ hoc tam salutari præsidio nudatas, interiisse.

Flo-

Florentissima Roma erat, & ab hac longissime prolatum orbis Imperium, sub AUGUSTO Cæsare; quo imperante, simul floruit & regnavit apud Romanos doctrina literarum & Eloquentia. Potentissima erat Græcia, quam diu illæ cunctarum Artium & doctrinarum inventrices Athenæ floruerunt. Posteaquam vero studia literarum, quæ sunt veluti fulcra ac firmamenta Rerumpublicarum, iis in locis cœperunt elanguescere, simul ipsa quoque Respublica & imperium utrobique concidit. Quid enim aliud Græcia, nostro tempore, quam horrenda barbaries, sub immani Tyrannide Otthomannica; a qua omnis humanitas, doctrina, justitia, religio exulat? Quid Roma, illa domina gentium, & imperatoria sedes augustissima, unde literarum splendor, unde humanitas, jura, leges in omnes terras edebantur; quid est hodie, nisi officina famosa libidinis & tyrannidis Pontificiæ; quæ majestatem imperii &

eminentiam illam augustam, Regibus & Principibus a Deo tributam, pedibus premit insolentissime, & in tanta luce verbi cœlestis, omniumq; Artium & doctrinarum splendore, caliginem & tenebras immanes, in Ecclesiam & Scholas, superiorum temporum barbarie, invectas, adhuc tenacissime retinet, ferroque & igni, & quacunque vi alia potest, pertinacissime defendit? Hanc summam cladem, existentem e jactura studiorum liberalium, cum non ignoraret nefarius Apostata Julianus, Scholas omnes Christianorum (quos penitus sublatos & ex orbe deletos cupiebat) edicto pestilentissimo sustulit; & ne quisquam illorum bonas literas disceret, per omnes imperii fines, severe prohibuit. Idem factitasse Habdaliam Mahometanum ferunt, cum extirpatam e sua gente religionem Christianam vellet; exemplo Juliani, ad omnem posteritatem execrabili. Quanto autem melius publicæ rei consuluit laudatissimus Imperator

tor Hadrianus, qui & erexit Academias novas, & in his omnium artium atque linguarum clarissimos Professores constituit? Quo quidem opere eam laudem est consecutus longe amplissimam, ut & Imperium Romanum in optimam formam restituisse; & post Augustum, utilissimus Reipublicæ Imperator, extitisse diceretur. Quam laudem postea etiam meruit, præ multis aliis, Constantinus ille Magnus, pientissimus Princeps atque Imperator, qui in Academiis & Scholis omnia bonarum literarum studia florere voluit; partim, ut religionem Christianam per Romani Imperii provincias longe lateque disseminaret; partim ut hac ratione ipsi Romano Imperio augustissimo, literarum illata luce, rectius consuleret. Atque hoc consilio, cum Licinium Tyrannum, hostem omnis religionis & Sapientiæ acerrimum, prælio superasset, pulcherrimam illam constitutionem edidisse fertur, quæ apud Justinianum in Codice,

dice, lib. 10. Tit. de Professoribus & Medicis, legitur. Hos itaque præstantes Heroas secutus est suo tempore FRIDERICUS ille, primus e stirpe inclyta Marchionum Misnensium, Dux Saxoniæ & Elector, Princeps magnanimus & sempiterna memoria dignissimus, qui Musas exulantes, cum receptum in Misnia quærerent, sua quasi manu in hanc civitatem introduxit; atque ita Lipsensem Academiam, veluti lumen illustre, constituit, ut inde radii doctrinæ liberalis & omnis sapientiæ in totum hunc Ducatum inclytum & vicinas terras, aliasque dissitas regiones, longissime diffunderentur. Quod egregium Principis sapientissimi institutum, eventu peroptato, Numinis sempiterni beneficio, non caruit. Nam & officina salutaris omnium laudatarum artium, & τῆς θεογνωσίας ἐργαστήριον nobile, jam inde ab initio, usque ad hæc nostra tempora, per annos videlicet ducentos, inclyta hæc Academia fuit: Ex

qua,

qua, ceu matre fœcundissima, viri innumerabiles prodierunt, in omni genere doctrinarum & artium excellentissimi; qui meritis suis ad summa evecti honorum fastigia, partim in Ecclesia Dei, Scholisque & Academiis celeberrimis, partim in aulis summorum Imperatorum, Regum, Principum, in Rebuspublicis item florentissimis, laudem sibi ac gloriam immortalem, ingenio & doctrina, virtute & industria pepererunt. Quia vero, gloriosi ac præpotentis Dei gratia, nostra jam ætas in eum incidit temporis articulum, ut die hodierno, qui est NATALIS ACADEMIAE DUCENTESIMUS, sit claudendum pia animorum devotione SECUNDUM, & felicibus ordiendum auspiciis hoc novum, id est, TERTIUM, ab illius prima fundatione, SECULUM; non immerito in laudem ac gloriam sempiterni & immortalis Dei, Illustrissimorum vero Principum, Fundatorum ac Conservatorum hujus Academiæ, memoriam & honorem;

&

&deniq; recordationem piam Antecessorum nostrorum & Praeceptorum, in Christo jam quiescentium; SECULARIS hæc FESTIVITAS indicta publice fuit; autoritate potissimum ac comprobatione clementissima Serenissimi Ducis Saxoniæ, CHRISTIANI II. S. Imperii R. Septemviri & Electoris, Principis & Domini nostri clementissimi; cujus serenissima Celsitudo, cum fratribus generosissimis & illustrissimis, non solum munificentia singulari juvare hanc celebritatem FESTI ACADEMICI, sed etiam missis Legatis (quos coram intuemur) Viris splendore ac nobilitate generis, sapientia, virtute atque autoritate eminentissimis, condecorare eandem atque augustiorem efficere, clementissime dignata est.

Ac quoniam mihi hoc tempore (quanquam mallem, munus id demandatum alteri fuisse) dicendi partes commissæ sunt, in hac solenni & augusta universitatis inclytæ Panegyri; ad ejusmodi argumentum

meam

meam Orationem accommodabo, quod neque alienum ab hac ſeſtivitate Seculari, neque huic coronæ Auditorum ſplendidisſimæ ingratum aut injucundum ullo modo fore confido. *Dicam de origine ac prima fundatione Lipſenſis Academiæ, deque illius progreſſibus & incrementis in omni ſtudiorum genere, ornamentis item peculiaribus; atque iterum (ſi temporis anguſtia ſinet) de nonnullis ſtudiorum cladibus, atque adverſitatibus, quæ non parum afflixerunt hanc Academiam; inprimis vero de Illuſtriſſimorum Principum munificentia ac liberalitate memorabili, qua primum conſtituta hac Academia, deinde laudabiliter conſervata, aucta, ornata, & denique ad hac usque tempora feliciter, per Dei gratiam, propagata & transmiſſa eſt.* Sed quia copioſum eſt hoc argumentum, & latisſime per duo ſecula diffuſum, non integrum mihi erit, oratorio dicendi more, in partes ſingulas excurrere longius. Contrahentur itaque membra narrationis hujus, & hiſtorica dictione breviter atque perſpicue (quemadmodum id genus poſtulat) res omnis a me commemo-

Argumentum Orationis.

morabitur. Id dum facio; Vos, Serenisſimi Electoris Saxoniæ, CHRISTIANI SECUNDI &c. Illuſtrisſimique Principis & Ducis, JOHANNIS GEORGII, Legatos ac Conſiliarios ſplendidisſimos: vos, REVERENDISSIMI CAPITULI MARTISBURGICI Proceres amplisſimos: Te COMITEM Illuſtrem ac Generoſum: Vos item laudatisſimæ WITTEBERGENSIS ACADEMIAE Profeſſores, qui hic adeſtis, Viros Reverendos, Clarisſimos & Celeberrimos: Denique vos cæteros, quotquot hoc loco, in decus ſolenne hujus Academiæ, conveniſtis, ſplendore generis, doctrina, virtute, prudentia atque autoritate lectisſimos & honoratisſimos hoſpites: Vos, inquam, ſingulos & univerſos nomine hujus inclytæ Univerſitatis, ſubmiſſe, reverenter & officioſe oro; ut pro inſigni humanitate veſtra, perbreve tempus, ad audiendum ea quæ dicentur, tribuere ſolenni huic Panegyri ac concioni Academicæ, ne dedignemini. Efficiam ego meo loco,

loco, ut si non potuero venustate sermonis atque elegantia, tamen delectu rerum & orationis brevitate, molestiam auscultandi vobis vel adimam, vel certe minuam. Tu autem', MAGIDFICE RECTOR ACADEMIÆ, vosq; Viri cæteri, cunctarum Facultatum & Nationum, amplissimi & honoratissimi (quorum jussu atque autoritate ex hoc loco verba jam facio) vos similiter, ut alibi consuevistis, singulari benevolentia & favore vestro dicentem me prosequemini; ut vestro adducta exemplo juventus hæc circumfusa florentissima non solum, quæ de Academia nostra commemorabuntur, diligenter attenteque audiat; sed etiam agnita perspectaque ex hac commemoratione, immensa Dei bonitate ac misericordia; qua Lux hæc doctrinarum & artium splendidissima, laudatissimorum Principum ministerio, primum accensa in his oris, deinde mirabiliter conservata, aucta, & ad nostram usq; ætatem transmis-

ſa eſt;ad ſempiternam gratitudinem, poſt Deum immortalem, Illuſtrisſimis Saxoniæ Ducibus, fundatoribus ac conſervatoribus hujus Academiæ benignisſimis, pro tanto beneficio, ſeſe obligatam intelligat.

SOlent Oratores, cum perſonæ laudationem inſtituunt, Genealogias ſcrutari, & ex imis annalibus eruere natales; ut qua familia, quibus majoribus, qua fama, quave laude conſpicuis, ea prognata ſit, videre Auditores atque intelligere posſint. Idem ſi faciendum nobis ſit in hoc argumento, de Univerſitate Lipſica, paululum e Germanis abeundum, & ad exteras Nationes, gentesque peregrinas excurrendum erit; Bohemos, inquam, Gallos & Italos. Nam Univerſitatis noſtræ veluti PROAVIA creditur eſſe BONONIENSIS Academia, *bonorum ſtudiorum mater & parens*; ab Imperatore Theodoſio, Arcadii filio, fundata, annis ab hinc mille, ducentis, circiter; & amplisſimis ornata privilegiis, tam Cæſareis quam Ponti-

Proſapia ac quaſi Genealogia Academiæ Lipſicæ.

Bononienſis Acad. Proavia noſtræ Univerſitatis.

Fundata ab Imper. Theodoſio.

Pontificiis, quorũ bona pars Academiæ noſtræ, poſterioribus temporibus attributa fuit. Ab hac prodiit, longo intervallo poſt, anno videlicet Chriſti ſeptingenteſimo, nonageſimo primo, PARISIENSIS in Gallia; autore ac fundatore CAROLO Magno, Francorum Rege, qui ſuaſu ac conſilio præceptoris ſui ALCUINI, iſtam Academiam erexiſſe, atq; ita primus in Galliam Muſas introduxiſſe ſcribitur. Quanquam enim ante Carolum quoque nonnihil, in ea gente, Philoſophia floruiſſe perhibetur; rationem tamen doctrinæ prorſus depravatam ac corruptam eo tempore fuiſſe, neceſſe eſt. Is itaque veram Academiæ formam primus conſtituit, atque autor hoc modo fuit, ut pro temporum illorum conditione, nonnihil repurgatæ ab ignorantiæ ſordibus artes bonæ ac literæ, ad ſtabiliendam ac propagandam religionem Chriſtianam, felicius quam ante, adhiberentur. Quod opus Caroli Regis prorſus inſigne ac præ-

Pariſienſis, Seluti aBia,

Carolus Magnus Conditor Academiæ Pariſ.

Carolus M. felix in conſtituendo Imperio.

præclarum, cum gratum ipsi Deo, & apprime fructuosum Ecclesiæ ac salutare fuerit, mirum videri non debet, quod propter hanc pietatem, eruditionemque & sapientiam, qua id temporis antecelluit, ferocissimas gentes domare, tantumque sibi Imperium brevi tempore constituere, & totum veluti Orbem pacare potuerit. Quantum vero nostra etiam Germania debeat illi Academiæ, ex eo manifestum est, quod in densissimis illis barbariei & ignorantiæ tenebris, quæ superiori hominum memoria omnes Scholas & Academias occuparant, cognitio linguæ Græcæ, tanquam sidus quoddam salutare, primum ex eo loco nobis affulsit; ex Græcia nimirum, per viros doctos exules, primum invecta in Italiam, inde mox in Galliam propagata, & denique per CAPNIONEM importata in Germaniam: cujus linguæ adjumento, barbaricæ sordes paulatim expurgatæ ex Scholis & Academiis, plurimorum studia exci-

Literatura Græca ex Parisiensi Acad. propagata in Germaniam.

Joh. Capnio (*vulgo* Reuchlin) δαδοῦχος *in hoc genere: circa annum Chr.* 1480.

excitata, lingua latina exculta, omnes artes & ſcientiæ illuſtratæ, ipſa denique cœleſtis verbi doctrina ſalvifica, fœdis erroribus & execrabili idololatria profligatis, ad puritatem & nitorem genuinum, immenſo Dei beneficio, revocata eſt. Noſtra igitur Academia PARISIENSEM hanc veluti AVIAM agnoſcit; utpote ex qua prodiit, circa annum Chriſti milleſimum, trecenteſimum, ſexageſimum, PRAGENSIS in Bohemia; autore CAROLO QUARTO Romanorum Imperatore. Quæ PRAGENSIS Academia deinde noſtram hanc, ceu FILIAM, annis undequinquaginta poſt, nimirum anno Chriſti 1409. ſed cum pernicie ſua, ac quaſi fatali interitu, procreavit. Hæc igitur eſt proſapia & veluti Genealogia Univerſitatis Lipſicæ. Verum hic, Auditores, paululum nobis ſubſiſtendum eſt, ut diſpiciamus, quænam ἀφορμὴ ſeu occaſio fuerit condendæ hujus Academiæ; & quæ cauſa potiſſimum moverit laudatiſſimum

Pragenſis Academia, ex Pariſienſi nata, veluti Mater eſt Academiæ Lipſicæ.

Ἀφορμὴ ſeu occaſio qua primum condita hac Academia.

Saxoniæ Ducem FRIDERICUM, ut tantis ſumtibus, tanta cura, labore & diligentia, in hac Urbe Studium, ut vocant, UNIVERSALE aperiret. Erat id temporis (circa annum videlicet Chriſti milleſimum quadringenteſimum nonum) Academia Pragenſis, perquam celebris, & ſtudiis liberalibus, doctisque hominibus, numero pene incredibili, affluebat. Autor eſt Hagecus, Bohemicus Scriptor, fuiſſe inventos eo tempore in Matricula Univerſitatis Pragenſis, Studioſos, ab exteris gentibus, præcipue Germanos, *ad quater & quadragies mille*, præter eos, qui gentis & & Nationis eſſent Bohemicæ: eamq; vim & multitudinem ipſi etiam Vrbi, quantumvis populoſæ & amplæ, formidabilem extitiſſe. Sic autem conſtituta erat a Carolo IV. Imperatore, Pragenſis Academia, ut totum corpus Univerſitatis in IV. Nationes primarias diſtributum eſſet, Bavaricam, Saxonicam, Polonicam & Bohemicam: atque ut Natio Germanica

Pragenſis Acad. circa an. Chr. 1409. *florentiſſima.*

Studioſi in Acad. Pragenſ. 44000.

Prag. Academia in Nationes IV. diviſa.

ica (quæ cæteras omnes, præter Bohemicam, complectebatur) in electione Rectorum & Decanorum, aliisque omnibus consiliis & deliberationibus publicis, TRIA SUFFRAGIA, Bohemica autem Natio UNUM duntaxat obtineret: Propterea quod Germanorum multitudo quædam, Bohemorum vero magna paucitas primum esset. Sed adjecerat tamen CAROLUS ad finem Privilegiorum, quibus Universale Studium Pragense munierat, ut tota Academia ad modum Parisiensis, ex qua tanquam Colonia erat deducta, administraretur. Postea igitur, cum augeri gens Bohemica cepisset, TRIA sibi suffragia, secundum Privilegiorum clausulam, postulavit: Germanis vero non nisi UNUM relinqui voluit: atq; hinc de principatu concertatio ingens inter Germanos & Bohemos exorta est. Causam vero huic concertationi & dissidio exitioso primũ præbuerat dogma JOHANNIS HUSSI Bohemi, recens contra Ecclesiam

Prærogativa Germanicæ Nationis.

Bohemi Prærogativam illam impugnant.

Prima dissidii causa, dogma Hussiticum.

Romanam ex Anglia in Bohemiam invectum; cui de natione Bohemorum multi assentiebantur, de Germanis autem plerique acerrime resistebant. Inde igitur disceptationes ac conflictiones valde graves & periculosas inter has dissidentes Nationes extitisse, facile intelligitur. Germani enim pro Romanæ Ecclesiæ decretis omni contentione propugnarunt; & ut in civilibus rebus, sic etiam in Ecclesiasticis, graves sese constantesque præstiterunt: Bohemi contra a partibus Hussi steterunt, ejusque dogmata non tueri solum, sed propagare etiam & disseminare omnibus modis conati sunt. Ipse igitur Hussus, Vir ingenio peracri & lingua diserta, tanquam Dux & Princeps factionis hujus (ut Germanos, quos sibi in dogmatis sui disseminatione omnium maxime videbat obstare, e Bohemia, non aliqua vi, sed consilio atque arte, expelleret) disputationem illam de abroganda prærogativa seu principatu Natio-

Disceptationes, inter has Nationes duas, graves & periculosæ.

Joh. Hussus, Dux & Princeps factionis hujus,

Contra Prærogativam Germanorũ acerrime disputat.

Nationum exterarum in Academia, omnium maxime urgebat. Et Germani quidem jus suum tueri omni ratione conabantur; nec discedere se posse significabant, vel transversum (ut ajunt) unguem, de consuetudine, quæ & Imperatoris autoritate confirmata, & sententia quoque Regis postea comprobata esset.

Germani jus suum tueri solunt.

Tumultus igitur & turbæ ex ea re gravissimæ exortæ sunt: quibus alii (ut fit in tanta multitudine) oppressi in Collegiis, alii in viis quoque publicis impetiti & vulnerati, non pauci etiam nocturno tempore de ponte in profluentem projecti & submersi fuêre: eaque conflictio & tumultuatio partium dissidentium, potissimum in annum Christi millesimum, quadringentesimum octavum, & partem anni sequentis Noni, incidit. Rex Bohemiæ id temporis erat WENCESLAUS, cujus per totum terrarum Orbem divulgata est atque nobilitata ignavia. Ad eum querelas quidem multas & graves

Tumultuationes & turbæ, in Academia, ingentes.

Rex Bohem. Wenceslaus, sua negligentia malum auget.

ſubinde Germani afferebant : ſed neque conſilii, neque opis quicquam impetrare ab eo poterant. Ita nimirum fato quodam ad perniciem & interitum Academiæ, directa omnia videbantur eſſe. Denique tamen, vel perturbatione quadam ex querelis & moleſtiis multiplicibus, vel eo potius conſilio, ut Nationum de primatu concertantium reprimeret inſolentiam, ARCHI-MAGIRUM ſuum, hoc eſt, culinæ præfectum, Academiæ Rectorem dedit: Et ſimul de Prærogativa ſuffragiorum a Germanis in Bohemos transferenda, ad exemplum Pariſienſis Academiæ & Bononienſis, ſententiam tulit: Quæ ſententia, anno Chriſti milleſimo, quadringenteſimo nono ineunte, circa finem menſis Januarii, in frequentiſſima Nationum omnium congregatione, publicata primum fuit. Ejus rei indignitate commoti vehementer Germani, de relinquenda Pragenſi Academia, conjunctis ſententiis, ſtatim conſilium ca-

Archimagirum ſuum Academiæ Rectorem conſtituit. Fabrit. l. 7. Hiſt. Miſn.

Denique Prærogatiuam a Germanis in Bohemos transfert.

Germani de relinquenda Praga conſilium capiunt.

capiunt: quin etiam jurejurando ad discessum mutuo sese astringunt. Verum ut honeste & aperte (quemadmodum viros bonos decet) rem agerent, conventum ante omnia Nationibus indicunt; † in quo congregatis omnibus Academiæ Magistris & Doctoribus; præsentibus item Consulibus Majoris Civitatis Pragensis, INSIGNIA RECTORATUS, nempe Sigilllum Universitatis, Statuta & Matriculam, per Magistrum HENNINGUM BOLDENHAGEN, id temporis Rectorem Academiæ Pragensis, eumque postremum e Natione Germanica, solenni adhibita protestatione, deponunt; die nimirum XI. Mensis Maji, circa horam I. post meridiem: atque inde paucis interjectis diebus, e civitate Pragensi abeunt Universi; tanto numero ac multitudine, ut intra Octiduum Magistri, Doctores, Baccalaurei & Studiosi ferme vicies mille, imo, si Hageco fides habenda est, quadragies mille,

Jurejurando se mutuo adstringunt.

Rectoratus insignia publice deponunt.

Rector postremus e Germ. M. Henning. Boldenhagen. Fabrit. ponit Jo. Hofman. Suidn. Silesium.

Discedunt Germ. e Prag. Academia, magno numero.

† Hæc ex Manuscripto Cod. veteri, Maj. Collegii PRR.

Academia dissipatur.

le, ex Bohemia discesserint. Hac ratione fuit dissipata apud Bohemos nobilissima Academia Carolina, & postea magis adhuc oppressa & devastata per subsecuta Hussitica bella; ut in hodiernum usque diem vix ἐρείπια quædam seu rudera pristinæ illius officinæ doctrinarum splendidissimæ reliqua sint.

Ruina Prag. Academiæ, gignit Academ. Lipsensem.

Quemadmodum autem in Naturalibus rebus fieri solet, ut una intereunte simul gignatur & emergat altera; Sic dissipatio ista Pragensis Academiæ, sive occasio, sive causa vera Academiæ Lipsicæ fuit. Cum enim viri docti, juvenesque Studiosi Praga abeuntes, alii (quemadmodum fit) alio commigrarent, ut hospitium Musis, sedemque idoneam quærerent; in hanc quoque regionem, vicinam Bohemiæ, & præcipue in urbem Lipsensem, magnæ catervæ Studiosorum (numerus supra duo millia fertur excrevisse) Du-

Magnæ catervæ Studiosorum Lipsiam veniunt.

ce &

ce & autore † JOHANNE HOFMANNO Suidnicensi Silesio, viro præcipuæ tunc autoritatis, qui postea, vix elapso quadriennio, Misnensis Episcopus ex Academico Professore factus est, confluxerunt: & se suaque studia contulerunt in fidem & patrocinium laudatissimi Principis FRIDERICI (de quo diximus) cognomento BELLICOSI, Primi, ex inclyta domo Marchionum Misnensium, Imperii Romani Septemviri, & Electoris Saxoniæ, qui sapientia, fortitudine ac potentia, inter Principes Imperii, maxime ea tempestate eminebat. Hic Princeps Sapientissimus, cum dignitatem Studiorum liberalium utilitatemque inde ad omnes vitæ humanæ partes promanantem satis intelligeret, Patronum se perbenignum exhibuit dispersis & exulantibus Musis; dum non solum eas, cum Principe inclyto WILHELMO Fratre, liberalissime recepit, & in hac Urbe

Dux eorum Joan. Hoffmannus Siles. postea Misn. Episcopus.

Fridericus & VVilhelmus FRR. Sax. PRR. hospitium Musis exulantibus præbent.

ac

† Hunc, cum vitæ periculo, in dimicatione nocturna, Pragæ cum adversariis armatis certasse, tradit idem Fabrit. in Annal.

ac ſede collocavit; ſed etiam præſidiis neceſſariis atque immunitatibus ita ſepſit & ornavit, ut non ad ſeculum unum aut alterum, ſed ad perpetuitatem quandam egregie comparata omnia videri poſſent. Quam ad rem plurimum profuiſſe dicitur opera Lipſenſis cujusdam, VINCENTII GRUNERI, viri docti & Theologiæ Scholaſticæ apprime periti, qui in illa migratione, non parum facundia ſua permoviſſe traditur Fridericum Electorem, ut profugis Muſis ſedem & hoſpitium in hac Urbe concederet. Itaque primus etiam in nova Academia Theologiæ Profeſſor, magna omnium conſenſione, factus eſt.

Vincent. Grunerus Lipſ. ſua facundia rem promovet.

Sed acceſſerunt præterea cauſſæ quædam aliæ, quæ & ipſæ Mentem optimi Principis permovere ad Muſas ſuſcipiendas facile potuerunt. Primum Huſſitis magna ferocia tumultuantibus, per ſe admodum infenſus erat; & incitabatur adverſus eos, a SIGISMUNDO quoque Imperatore,

Cauſæ quædam aliæ, conſtitutæ hujus Academiæ.

Odium Huſſitarum in Friderico P R.

ratore, a quo postea dignitatem Electoratus, propter egregia in Imperium merita, & inprimis propter operam adversus Bohemos ipsi laudabiliter præstitam, ceu βραβεῖον perspectæ fidei ac fortitudinis, accepit. Itaque causa non minima videtur fuisse Friderico, Duci inclyto, Musas ex Bohemia profugientes colligendi, & his suscipiendi sedibus; ut in hac quoque parte Bohemos thesauro doctrinæ pretiosissimo & ornamento eximio, spoliaret.

Amor literarum ex familiaritate ac consuetudine cum Sigismundo Imperatore.

Deinde erat etiam in Sigismundo Imperatore eximius quidam literarum amor & cupiditas; ut qui nullos in Aula sua, quocunque etiam loco natos, pluris faceret, quam viros literatos & doctrinæ laude conspicuos. Ex hujus igitur consuetudine & familiaritate, etiam literas amare ipse FRIDERICUS, & magnifacere absque dubio cœpit: quemadmodum ex MAXIMILIANI Primi Imperatoris sermonibus crebris & hortationibus inductum scribunt FRIDERICUM III. cogno-

cognomento SAPIENTEM, ut inclytam quoque Academiam Wittebergensem conderet.

Academiæ fundatio divinitus gubernata, ut hospitium Ecclesiæ prepararet, in his oris Misniæ.

Sed quæcunque tandem causa Principem laudatissimum ad fundandam hanc Academiam impulit; id profecto certum indubitatumque est, rem eam totam divinitus gubernatam fuisse. Habebat enim Deus in animo, verbum suum ex tenebris & tyrannide Pontificia in lucem libertatemque evocare: quod nemo hominum eo tempore perspiciebat; sed plurimi erant, qui summis votis & gemitibus id expetebant. Itaque mature lucem literarum suscitare voluit in hac regione Misnica: Unde post centum ferme annos Ecclesiæ emendatio omnis erat eruptura. Est enim literarum scientia plerumque veluti prodromus sinceræ atque orthodoxæ religionis, vel certe comes perpetua, quæ obsequio suo & ministerio modis omnibus eam juvat & ornat. Quare & tunc præmisit Deus literarum doctrinam in hanc

hanc regionem; ut hospitium Ecclesiæ suæ necessarium & commodum in hac Urbe primum præpararet.

Habetis jam, Auditores eminentissimi, ἀφορμὴν & occasionem, qua ex Academia Pragensi nostra hæc Universitas prodiit; Causam item, quæ inclytum Saxoniæ Ducem, ad Musas in hac Urbe recipiendas, permovit. Nunc deveniendum est ad cætera, de quibus institui dicere; sed nuda & simplici oratione, ne tempus, quod perbreve est, nos in ipso quasi cursu Narrationis Historicæ destituat.

Dixi, Musas e Bohemia pulsas, cum incertis sedibus vagarentur, benignissime in hac Urbe ab inclyto Principe Fundatore receptas fuisse. Sed quia Privilegiorum præsidio opus omnino tunc erat, cumulatissime hæc quoque, pro more & consuetudine temporum illorum, contulit ALEXANDER V. Pontifex summus; diplomate dato ex Urbe Pisis (ubi duos ante Menses circiter,

Privilegia novæ Academiæ data, ab Alexandro V. Pontifice.

Papalem obtinuerat eminentiam) die IX. Menſis Septembris, prædicti anni Milleſimi, quadringenteſimi noni. Quod diploma cum brevi poſt allatum huc eſſet, Conſtitutio tandem novæ Academiæ Lipſenſis, in Cœnobio Canonicorum Regularium ad D. Thomæ, (præſentibus inclytis Principibus Fundatoribus, cum Epiſcopis, Prælatis, Magiſtris & Doctoribus, magno numero congregatis) ſolenniter publicata fuit; anno eodem, hac ipſa die, imo & hora hac diei, quæ eſt Feria ſecunda, poſt Primam Dominicam Adventus Domini. Adjecit etiam Alexander V. Pontifex, anno eodem, die 18. Menſis Decembris, Privilegium ſive Conceſſionem (ut vocant) Conſervatorii; quo nempe CANCELLARIUM ACADEMIÆ, & Privilegiorum, immunitatum, jurium denique omnium CONSERVATOREM conſtituit ANTISTITEM MERSEBURGICUM; qui quovis tempore præſto eſſe, & ſi res ita poſtulet, ſubſidio venire poſſit Academiæ;

Conſtitutio Academiæ ſolenniter publicata, præſentibus PRR. Fundatoribus.

Antiſtes Merſeburgius Cancellarius Academiæ, & immunitatum atque Privilegiorum Conſervator.

Quas

Quas partes hodie Illustrissimus Saxoniæ Dux, JOHANNES GEORGIUS, prædicti Episcopatus Merseburgici POSTULATUS ADMINISTRATOR, Dominus noster clementissimus, legitima electione ad se devolutas, sustinet.

Is, hodie, Illu. Sax. Dux Jo. Georgius, Po. Administrator Episc. Martisburgici.

Constituta igitur hoc modo, & in Nationes quatuor, quibus tota Fundatio innititur, distributa hæc Academia, RECTOREM PRIMUM habuit, in ipso Natali Academiæ designatum, M. JOANNEM OTTONEM DE MÖNSTERBERG, natione Silesium, S. Theologiæ Professorem, & Fundatorem Collegii B. Virginis; cujus adhuc e regione depicta imago cernitur. Hic primus extitit e Pragensis Academiæ Magistris & Doctoribus Sex & quadraginta, qui in Matriculam novæ Universitatis Lipsicæ, a Principibus Fundatoribus assumti fuerunt; Primus item PROCANCELLARIUS ab Academia electus, ad Magistros examinandos & promovendos in Communitate Philosophica, eodem anno 409. DECANI vero mu-

Academia in IV. Nationes distributa.

Rector primus, M Joh. Otto de Monsterberg.

Idem primus Procancellarius in Communitate Philosoph.

nus in Communitate Artium, primus gessit, per semestre hybernum primi illius, & proxime sequentis anni, M. HEINRICUS BERNHAGEN, de Natione Saxonum: & ab his continua series, tam Rectorum & Decanorum, quam eorum, qui Cancellarii vicem gesserunt in Communitate Philosophica, usq; ad hæc tempora, per annos jam ducentos, in nostris Matriculis ostenditur.

Primus Decanus Facultatis Artium, M. Heinr. Bernhagen, Saxo.

Porro cum domicilia quoque necessaria essent Academiæ novæ, eaque studiis idonea ac commoda; tributæ sunt Universitati mox in prima fundatione domus duæ, quæ dictæ fuerunt COLLEGIA PRINCIPUM; alterum quidem MAJUS, in platea seu vico Equestri, e regione Templi D. Nicolai; quod etiam hodie nomen illud priscum retinet; alterum vero MINUS, in Petrino vico; ubi PÆDAGOGIUM quoque Magistris Artium, sed peculiari & distincta domo, assignatum fuit; quo in loco hodie COLLEGIUM PETRINUM, amplissimæ Facultatis Juridicæ proprium,

Duo Collegia Principum, Majus & Minus.

Pædagogium, pro Magistris Artium.

um, cernitur. Nam primis illis temporibus, naſcentis quaſi Academiæ, Jureconſultos in ambitu Templi ad D. Thomæ, publice docuiſſe conſtat; & quidem bene longo tempore, uſque ad annum Chriſti, Milleſimum, quingenteſimum, decimum quintum.

Jureconſultorum Schola olim in ambitu templi, ad D. Thomæ.

Non ſolum vero Domiciliis iſtis, Academiæ donatis a Principe, libertas ſingularis & immunitas a vectigalibus & oneribus cæteris, autoritate Principali, conceſſa fuit: ſed etiam, ut nervi ſtudiorum neceſſarii ſuppeterent, COLLEGIATURÆ conſtitutæ, & diſtributæ in Nationes 4. Polonicam, Bavaricam, Miſnenſem, Saxonicam: in has quippe (ut dixi) totum corpus Univerſitatis, more inſtitutoque Pragenſis Academiæ, diviſum eſt. Et initio quidem, in Collegio Majori, DUODECIM conſtituti fuêre Collegiati, terni ſcilicet ex Nationibus ſingulis; ſed iſte numerus ad octonarium poſtea redactus eſt; & duæ quidem Collegiaturæ,

Immunitas Collegiis conceſſa, ab oneribus civilibus.

Ordinatæ Collegiaturæ.

XII. Collegiaturæ primum in Majori Collegio.

Ex his duæ peculiariter attributæ Medicis.

† pro stipendiis assignatæ Medicis duobus, qui citra Nationum distinctionem, ubi locus aliquis vacare cœpit, in Collegium istud cooptari solent; juxta Constitutionem FRIDERICI & WILHELMI PRR. Fundatorum, editam anno Christi 1428.

Duæ item Professoribus duobus in Jure.

Duæ autem reliquæ cesserunt duobus Professoribus in scientia Juris, qui separati sunt a Collegii societate: de quo itidem extat Constitutio Ducis Saxoniæ, GEORGII, sub anno Christi 1504.

Collegii Minoris VIII. Collegiaturæ.

Collegium vero Minus octo Collegiatis attributum est, binis similiter ex Nationibus singulis: quæ constitutio prima ad hodiernum usque diem deducta & observata est.

Munus seu officium Collegiatorum.

Voluerunt autem benignissimi Fundatores, hos ipsos Collegiatos quasi præsides atque custodes esse disciplinæ & doctrinæ eruditæ, in Colle-

† Ad hæc stipendia accedit, ex eadem Constitutione PRR. Corpus (ut vocant) geminum, ex minori Collegio, quod duobus infimis Collegis ibidem detrahitur.

Collegiis, & proinde ex ærario suo primum annua stipendia eis statuerunt; sed postea pro pecuniis, † PAGOS TRES, quos VETERES vulgo solemus appellare, dicarunt iisdem: idque hoc consilio, quod fundorum fructum omnium certissimum esse Principes optimi judicarent.

Tres Pagi, quos Veteres dicimus, Collegiatis attributi.

Quin etiam peculiare jus attributum est Collegiatis, emendi pro Convictoribus suis, atque aliunde importandi Zythum seu cerevisiam, quantum scilicet usus & necessitas exigeret. Verum quia beneficio hoc nonnulli interdum abuti velle videbantur; controversia inde nata est, inter amplissimum Magistratum Urbis & Collegiorum Præsides; sed ea tandem inter utrosque sic composita, interveniente opera Viri id temporis amplissimi THEODORICI à BUCKSDORF, Juridicæ Facultatis Ordinarii

Jus iisdem quoq; datum, externam importandi cerevisiam.

 dinarii

† Hinc ab antiquo jurisdictionem, in 3. pagos veteres, communem habent Collegiati utriusque Collegii PRR. cum amplissima Facultate juridica.

Hinc consuetudo tandem orta, vendendi cerevisiam (ut vocant) Latinam.

dinarii & Canonici Merseburgici, ut certo numero comprehensa dolia cerevisiæ aliunde importatæ, liceret illis vendere: Et hinc originem traxit anniversaria illa ζυθοπώλησις seu venditio CEREVISIÆ, ut vulgo vocant, LATINÆ, in utroque Principum & Mariano Collegio; quæ deducta ab anno Christi 1445. ad hæc usque tempora perdurat.

IV. Executores Academiæ initio constituti.

Non prætereundum quoque hoc loco arbitror, quod laudatissimi Fundatores, cum Reipub. hujus scholasticæ statum quam optimum & florentissimum esse cuperent, EXECUTORES quatuor, ex singulis Nationibus delectos, constituerint, Viros ætate, Prudentia atque autoritate conspicuos & graves, qui tanquam ἔφοροι seu Inspectores perpetui, res Academiæ, cum Rectore curarent; incrementa illius & commoda promoverent, incommoda & detrimenta averterent. Quæ constitutio observata est ab anno Christi 1428. usque ad annum 1544. quo tempo-

tempore, sub laudatissimo Electore Mauritio, in locum Executorum ADJUNCTI successerunt; præclaro & laudabili instituto. Nam multas res gravissimas horum Inspectorum opera feliciter expeditas, multas ingruentes adversitates consilio mature aversas, utilitates vero, cum magno fructu Academiæ, procuratas fuisse constat. Sed & hæc ordinatio postea, nescio qua temporum injuria, non certe absque hujus Academiæ gravi jactura, in desuetudinem abiit.

Hi deinde mutati in Adjunctos.

Sed tandem hæc quoque Ordinatio in desuetudinem abiit.

Videtis & intelligitis, AUDITORES, quæ primordia fuerint nascentis Academiæ Lipsicæ, imo quæ adhuc sint ejusdem veluti fulcra & fundamenta præcipua. Nunc progrediamur ad posteriora tempora, & quæ incrementa porro subsecuta sint, dispiciamus: sed brevissime.

Privilegiis hanc Academiam large liberaliterque munitam & & ornatam fuisse ab Alexandro V. Pontifice, paulo ante commemo-

ravimus. Ad hæc paulo post, anno nimirum quarto & decimo, post Millesimum, quadringentesimum, a nato Christo, accesserunt PRÆBENDÆ, ut vulgo vocant, seu CANONICATUS VI. tributi Academiæ, a JOHANNE XXIII. Pontifice: duo quidem ex Misnensi, totidemque ex Merseburgico; reliqui autem duo ex Naumburgensi & Cizensi Episcopatibus: Unde nimirum uberiora Salaria constituta iis, qui sacram Theologiam & scientiam Juris publice profitentur in hac Academia.

Præbendæ seu Canonicatus VI. Academiæ tributi, a Joh. XXIII. Pontifice.

Adjectum quoque est Privilegium memorabile SIXTI Pontificis, quo cavetur, *ne membra Academiæ Lipsicæ ad extraneum trahantur Judicem*: quod privilegium anno Christi 1481. editum fuit. Quo eodem tempore, Thiloni quoque, Episcopo Merseburgico negotium datum est, ut quandam Academiæ correctionem susciperet; inque ordinem, quæ lapsu temporis depravata aut dissipata quoquo modo viderentur esse, redigeret:

Privilegium memorabile Sixti Pontificis.

Academiæ correctio, per Thilonem Merseburg. Episcopum.

geret: quod factum ab eo fuit, anno tertio & octuagesimo, post Millesimum, quadringentesimum a nato Salvatore.

Posthæc, quasi coronidem addidit Privilegiis & immunitatibus nostræ Academiæ LEO X. Pontifex Romanus, qui novo diplomate (anno CHRISTI 1519.) partim auxit ac confirmavit Privilegium Sixti Pontificis; *quod membra Academiæ, quibuscunque in causis, coram suo Rectore duntaxat conveniri possint ac debeant: NEC CORAM QUOVIS ALIO JUDICE, nisi in casu denegatæ justitiæ, in justitia, respondere teneantur:* Partim jus Academiæ, in avocandis subditis, quod ab antiquo unius, postea duorum dierum itinere circumscriptum erat, ad tridiuani itineris spacium extendit; ut ita Privilegii hujus vigore, *quoscunque suppositos Universitatis hujus, ex quibuscunque locis, etiam usque ad TRES DIETAS* (sic enim habet diploma Pontificium) *inclusive trahere possit.* Quod Jus AVOCANDI, (jam inde ab incunabulis Academiæ deductum, & acti-

Noviss. Privilegium Leonis X. Pontificis.

Jus avocandi subditos Academiæ, ad tres Dietas.

Papalem obtinuerat eminentiam) die IX. Mensis Septembris, prædicti anni Millesimi, quadringentesimi noni. Quod diploma cum brevi post allatum huc esset, Constitutio tandem novæ Academiæ Lipsensis, in Cœnobio Canonicorum Regularium ad D. Thomæ, (præsentibus inclytis Principibus Fundatoribus, cum Episcopis, Prælatis, Magistris & Doctoribus, magno numero congregatis) solenniter publicata fuit; anno eodem, hac ipsa die, imo & hora hac diei, quæ est Feria secunda, post Primam Dominicam Adventus Domini. Adjecit etiam Alexander V. Pontifex, anno eodem, die 18. Mensis Decembris, Privilegium sive Concessionem (ut vocant) Conservatorii; quo nempe CANCELLARIUM ACADEMIÆ, & Privilegiorum, immunitatum, jurium denique omnium CONSERVATOREM constituit; ANTISTITEM MERSEBURGICUM; qui quovis tempore præsto esse, & si res ita postulet, subsidio venire possit Academiæ; Quas

Constitutio Academiæ solenniter publicata, præsentibus PRR. Fundatoribus.

Antistes Merseburgius Cancellarius Academiæ, & immunitatum atque Privilegiorum Conservator.

Quas partes hodie Illuſtriſſimus Saxoniæ Dux, JOHANNES GEORGIUS, prædicti Epiſcopatus Merſeburgici POSTULATUS ADMINISTRATOR, Dominus noſter clementiſſimus, legitima electione ad ſe devolutas, ſuſtinet.

Is, hodie, Illu. Sax. Dux Jo. Georgius, Po. Administrator Episc. Martisburgici.

Conſtituta igitur hoc modo, & in Nationes quatuor, quibus tota Fundatio innititur, diſtributa hæc Academia, RECTOREM PRIMUM habuit, in ipſo Natali Academiæ deſignatum, M. JOANNEM OTTONEM DE MÖNSTERBERG, natione Sileſium, S. Theologiæ Profeſſorem, & Fundatorem Collegii B. Virginis; cujus adhuc e regione depicta imago cernitur. Hic primus extitit e Pragenſis Academiæ Magiſtris & Doctoribus Sex & quadraginta, qui in Matriculam novæ Univerſitatis Lipſicæ, a Principibus Fundatoribus aſſumti fuerunt; Primus item PROCANCELLARIUS ab Academia electus, ad Magiſtros examinandos & promovendos in Communitate Philoſophica, eodem anno 409. DECANI vero mu-

Academia in IV. Nationes diſtributa.

Rector primus, M Joh. Otto de Monſterberg.

Idem primus Procancellarius in Communitate Philoſoph.

um, cernitur. Nam primis illis temporibus, nascentis quasi Academiæ, Jureconsultos in ambitu Templi ad D. Thomæ, publice docuisse constat; & quidem bene longo tempore, usque ad annum Christi, Millesimum, quingentesimum, decimum quintum.

Jureconsultorum Schola olim in ambitu templi, ad D. Thomæ.

Non solum vero Domiciliis istis, Academiæ donatis a Principe, libertas singularis & immunitas a vectigalibus & oneribus cæteris, autoritate Principali, concessa fuit: sed etiam, ut nervi studiorum necessarii suppeterent, COLLEGIATURÆ constitutæ, & distributæ in Nationes 4. Polonicam, Bavaricam, Misnensem, Saxonicam: in has quippe (ut dixi) totum corpus Universitatis, more institutoque Pragensis Academiæ, divisum est. Et initio quidem, in Collegio Majori, DUODECIM constituti fuêre Collegiati, terni scilicet ex Nationibus singulis; sed iste numerus ad octonarium postea redactus est; & duæ quidem Collegiaturæ,

Immunitas Collegiis concessa, ab oneribus civilibus.

Ordinata Collegiaturæ.

XII. Collegiaturæ primum in Majori Collegio.

Collegiis, & proinde ex ærario suo primum annua stipendia eis statuerunt; sed postea pro pecuniis, † PAGOS TRES, quos VETERES vulgo solemus appellare, dicarunt iisdem: idque hoc consilio, quod fundorum fructum omnium certissimum esse Principes optimi judicarent.

Tres Pagi, quos veteres dicimus, Collegiatis attributi.

Quin etiam peculiare jus attributum est Collegiatis, emendi pro Convictoribus suis, atque aliunde importandi Zythum seu cerevisiam, quantum scilicet usus & necessitas exigeret. Verum quia beneficio hoc nonnulli interdum abuti velle videbantur; controversia inde nata est, inter amplissimum Magistratum Urbis & Collegiorum Præsides; sed ea tandem inter utrosque sic composita, interveniente opera Viri id temporis amplissimi THEODORICI à BUCKSDORF, Juridicæ Facultatis Ordinarii

Jus iisdem quoq; datum, externam importandi cerevisiam.

† Hinc ab antiquo jurisdictionem, in 3. pagos veteres, communem habent Collegiati utriusque Collegii PRR. cum amplissima Facultate juridica.

Hinc consuetudo tandem orta, vendendi cerevisiam (ut vocant) Latinam.

dinarii & Canonici Merseburgici, ut certo numero comprehensa dolia cerevisiæ aliunde importatæ, liceret illis vendere: Et hinc originem traxit anniversaria illa ζυθοπώλησις seu venditio CEREVISIÆ, ut vulgo vocant, LATINÆ, in utroque Principum & Mariano Collegio; quæ deducta ab anno Christi 1445. ad hæc usque tempora perdurat.

IV. Executores Academiæ initio constituti.

Non prætereundum quoque hoc loco arbitror, quod laudatissimi Fundatores, cum Reipub. hujus scholasticæ statum quam optimum & florentissimum esse cuperent, EXECUTORES quatuor, ex singulis Nationibus delectos, constituerint, Viros ætate, Prudentia atque autoritate conspicuos & graves, qui tanquam ἔφοροι seu Inspectores perpetui, res Academiæ, cum Rectore curarent; incrementa illius & commoda promoverent, incommoda & detrimenta averterent. Quæ constitutio observata est ab anno Christi 1428. usque ad annum 1544. quo tempo-

tempore, sub laudatissimo Electore Mauritio, in locum Executorum ADJUNCTI successerunt; præclaro & laudabili instituto. Nam multas res gravissimas horum Inspectorum opera feliciter expeditas, multas ingruentes adversitates consilio mature aversas, utilitates vero, cum magno fructu Academiæ, procuratas fuisse constat. Sed & hæc ordinatio postea, nescio qua temporum injuria, non certe absque hujus Academiæ gravi jactura, in desuetudinem abiit.

Hi deinde mutati in Adjunctos.

Sed tandem hæc quoque Ordinatio in desuetudinem abiit.

Videtis & intelligitis, AUDITORES, quæ primordia fuerint nascentis Academiæ Lipsicæ, imo quæ adhuc sint ejusdem veluti fulcra & fundamenta præcipua. Nunc progrediamur ad posteriora tempora, & quæ incrementa porro subsecuta sint, dispiciamus: sed brevissime.

Privilegiis hanc Academiam large liberaliterque munitam & & ornatam fuisse ab Alexandro V. Pontifice, paulo ante commemo-

ravimus. Ad hæc paulo post, anno nimirum quarto & decimo, post Millesimum, quadringentesimum, a nato Christo, accesserunt PRÆBENDÆ, ut vulgo vocant, seu CANONICATUS VI. tributi Academiæ, a JOHANNE XXIII. Pontifice: duo quidem ex Misnensi, totidemque ex Merseburgico; reliqui autem duo ex Naumburgensi & Cizensi Episcopatibus: Unde nimirum uberiora Salaria constituta iis, qui sacram Theologiam & scientiam Juris publice profitentur in hac Academia.

Præbendæ seu Canonicatus VI. Academiæ tributi, a Joh. XXIII. Pontifice.

Adjectum quoque est Privilegium memorabile SIXTI Pontificis, quo cavetur, *ne membra Academiæ Lipsicæ ad extraneum trahantur Judicem*: quod privilegium anno Christi 1481. editum fuit. Quo eodem tempore, Thiloni quoque, Episcopo Merseburgico negotium datum est, ut quandam Academiæ correctionem susciperet; inque ordinem, quæ lapsu temporis depravata aut dissipata quoquo modo viderentur esse, redigeret;

Privilegium memorabile Sixti Pontificis.

Academiæ correctio, per Thilonem Merseburg. Episcopum.

geret: quod factum ab eo fuit, anno tertio & octuagesimo, post Millesimum, quadringentesimum a nato Salvatore.

Posthæc, quasi coronidem addidit Privilegiis & immunitatibus nostræ Academiæ LEO X. Pontifex Romanus, qui novo diplomate (anno CHRISTI 1519.) partim auxit ac confirmavit Privilegium Sixti Pontificis; *quod membra Academiæ, quibuscunque in caussis, coram suo Rectore duntaxat conveniri possint ac debeant: NEC CORAM QUOVIS ALIO JUDICE, nisi in casu denegatæ justitiæ, in justitia, respondere teneantur:* Partim jus Academiæ, in avocandis subditis, quod ab antiquo unius, postea duorum dierum itinere circumscriptum erat, ad triduani itineris spacium extendit; ut ita Privilegii hujus vigore, *quoscunque suppositos Universitatis hujus, ex quibuscunque locis, etiam usque ad TRES DIETAS* (sic enim habet diploma Pontificium) *inclusive trahere possit.* Quod Jus AVOCANDI, (jam inde ab incunabulis Academiæ deductum,

Nobiss. Privilegium Leonis X. Pontificis.

Jus avocandi subditos Academiæ, ad tres Dietas.

&acti-

& actibus corroboratum multiplicibus) ut est ornamentum peculiare hujus Academiæ; sic Illustrissimorum Principum, Electorum & Ducum Saxoniæ, clementissima concessione & ope subsidiaria, sicubi opus fuit, conservatum hactenus, & jam ad ducentorum annorum memoriam, observatione continua, transmissum est.

Variæ leges, ab Academia diversis temporibus conditæ.

Porro inter has Concessiones Pontificias, ipsa quoque Academia leges varias, prout tulit necessitas, condidit; quibus scilicet disciplina publica, morumque honestas, pax item & tranquillitas quasi quodam valido præsidio muniretur. In quem finem etiam PACTA AC CONVENTIONES diversæ, inter Universitatem hanc & amplissimum Urbis hujus Senatum, intercesserunt, diversis temporibus; quibus non solum firmatur disciplina publica, sed etiam tranquillitas & concordia mutua, inter Academiam & amplissimumMagistratum Urbis, vel inprimis alitur ac conservatur.

Pacta ac Conventiones, inter Academiam & urbis hujus Senatum.

Di-

Dictum vero paulo ante fuit, duo fuisse primum Academiæ attributa Collegia, unum Majus in Equestri, alterum Minus in Petrino vico situm. His igitur adjectum est, circa annum Christi 1440. COLLEGIUM BEATÆ VIRGINIS, Silesiacæ Nationis proprium: ad quod ædificandum Johannes Otto Münsterbergius, primus Academiæ Rector, contulit pecuniam eam, quam Pragæ collegerat, ad condendum ibi Collegium pro Silesiis. Sed cum mors improvisa Münsterbergii intervenisset, Popularis ipsius, Johannes Hoffmannus, quem postea Misnæ Episcopum factumq; diximus, opus istud absolvit, & COLLEGIUM MARIANUM instituit; in quo Collegas quinque Silesios, & si libeat, sextum e Prutenis adsciscendum, ordinavit.

Collegium B. Virginis, Siles. Nationis proprium.

Post hæc autem (anno CHRISTI 1456) COLLEGIUM PRINCIPUM MINUS, e vico Petrino translatum est in eum locum, ubi extructum modo, veteri ædificio, cernitur. Erat

Collegium Minus, in Vicum Equestrem, e Petrino transfertur.

ante

Cauda Vulpina, Area.

ante id tempus in eo loco AREA quædam (quæ vulgo CAUDA VULPINA dicebatur noſtrate lingua) quam Communitas Artium a Collegiatis Collegii Majoris (hujus enim propria erat) certa conventione obtinuerat. Hanc aream deinde permutatione quadam a Philoſophis accipiunt Collegiati Minoris Collegii Principum, atque ibi domum ædificant, & Collegium eo ſuum transferunt: Domum vero Petrinam totam, quam uſque ad id tempus inhabitaverant, prædictis Artium Magiſtris relinquunt. Hæc Petrina domus, PÆDAGOGIUM vulgo dicebatur, uſque ad annum Chriſti 1515. quo GEORGIUS, Saxoniæ Dux, Illud convertit in Juriſconſultorum Collegium, qui antea in ambitu Templi ad D. Thomam, docuerant.

Domus Petrina tota, Pædagogii nomine, Artium Magiſtris relinquitur.

Tandem convertitur in Collegium JCtorum.

Pro Pædagogio autem illo, Jureconſultis jam aſſignato, Philoſophis attribuit idem Princeps Collegium, quod hodie NOVUM dicitur, ex Equili Senatorio, ad pomœrii confinia, extru-

Artium Magiſtris attribuitur Colleg. Novum, ex Equili Senatorio extructum.

extructum; anno 1513. Quod quidem factum est, flagitante GEORGIO Principe; Senatu vero in æquis acquiescente conditionibus; & domum illam, e lapide coctili suis impensis extructam, cum habitationibus, fornicibus, cubiculis & rebus aliis necessariis, DECANO & Magistris Philosophicæ Communitatis, tradente: cujus rei documentum esse possunt amplissimi Senatus Insignia, quæ incisa in lapide, cum inscriptione, adhuc conspiciuntur in ingressu ædium, quæ posteriori loco versus mœnia sitæ sunt. Nam ædificium alterum, quod spectat urbem, Communitatis Philosophicæ sumtibus totum extructum esse, publica monumenta testantur.

Posterior domus Collegii N. impensis Senatus ædificata.

Prior extructa sumtibus Facultatis Artium.

Equile vero Senatorium, e vico Equestri translatum est in eum locum, ubi jam conspicitur; & in quo laudatissimæ Facultatis Juridicæ Ordinarius suum, ante id tempus, habebat domicilium. Is enim in hac permutatione, e vico (ut vocant) Fori

Equile Senatorium translatum in Forum (ut vocant) Novum.

Translata & Domus Ordinarii Facultatis jurid. in Petrinum.

Fori Novi Sedem suam in Petrinum transtulit; ubi hodie domus est Ordinarii Juridicæ Facultatis propria. Ita nimirum, progressu temporis, cum Academia crescente, Collegia quoque numero aucta & multiplicata sunt; ut primum hodie numeremus Collegium Majus, secundum Minus, tertium Marianum, quartum Novum, quintum Petrinum: quibus tandem Sextum quoq; nempe PAULINUM, anno Christi 1544. ex munificentissima inclyti Electoris Mauritii donatione, adjectum est.

Hodie Collegia VI. in universum numerantur.

Colleg. Paulinum ex donatione laudatiss. PR. Mauritii.

Perspicitis, AUDITORES, ex his quæ dicta sunt, quomodo paulatim Universitas Lipsica vires sumserit ex illis primordiis, quæ vobis jam innotuerunt ex fundatione prima. Quod si jam ad posteriora tempora, hujus inprimis jam præteriti seculi, progrediendum esset, dies hic me citius, quam Oratio deficeret.

Beneficia amplissima posteriorum PRR. Ducum & Electorum Sax. in hanc Academiam.

Prædicanda enim essent beneficia in hanc Academiam præclara & eximia Principis optimi, GEORGII, Ducis

Ducis Saxoniæ, qui præter cætera operam dedit, ut depulsa illa superiorum temporum barbarie, paulatim in hanc Academiam politiores introducerentur literæ; evocato ad eam rem, ex Treviris, viro id temporis doctissimo, PETRO MOSELLANO; quem non diu quidem superstitem habuit hæc Academia; attamen ex illius singulari eruditione fructum percepit multo maximum. *Georgii Sax. Ducis.*

Dicendum esset de liberalitate & beneficentia summa generosissimi Herois & Ducis Saxoniæ fortissimi, MAURITII Electoris; qui non solum cœlestis doctrinæ cultum & propagationem religiosissime promovit in Universitate hac; Sed in ea quoq; ornanda & amplificanda suam munificentiam, tanto Heroë dignam, prolixe demonstravit: A quo Collegium hoc, quod Monachorum ante fuerat domicilium, una cum adjunctis pagis sylvisque late patentibus, Universitati datum; œconomia amplissimis sumtibus constitu- *Mauritii Electoris.*

 ta;

ta; ſtipendia, inprimis Theologica, magno numero ordinata; Salaria denique Profeſſorum, munificentiſſime aucta & amplificata ſunt.

Nec vero prætereunda eſſet in hac commemoratione, Munificentia, Cura, Vigilantia, Pietas eximia, potentiſſimi quondã & Illuſtriſſimi Saxoniæ Ducis & Electoris AUGUSTI; cujus merita, tum in Eccleſiam Chriſti, tum Academiam hanc, ampliſſima extare ſcimus: ut & laudatiſſimæ memoriæ Principis, CHRISTIANI PRIMI, Electoris Saxonici; cujus erga Academiam hanc affectio paterna, ſtudiumque in ea augenda & illuſtranda incredibile, adhuc quodammodo ante oculos nobis obverſatur.

Electoris Auguſti, & Chriſtiani Primi.

Idem denique prædicandum eſſet in hoc, noſtri temporis, Sereniſſimo Principe CHRISTIANO SECUNDO, Saxoniæ Duce & Electore, Domino noſtro clementiſſimo, qui cum Generoſiſſimis Principibus, Fratribus, JOHANNE GEORGIO & AUGUSTO,

Sereniſſ. & Illuſtriſſimorũ noſtri temporis Principum: Chriſtiani II. Electoris; Johan. Georgii, & Auguſti, Sax. Ducum &c.

sτo, Saxoniæ Ducibus Illuſtriſſimis, ſimiliter in eam curam, vel maxime incumbit, ut tum verbi cœleſtis & ſalvifici theſaurum incomparabilem, in his regionibus, integrum incorruptumque conſervet; tum ſtatum hujus Academiæ, tanquam nobilis officinæ pietatis & honeſtarum Artium, quam florentiſſimum ad poſteros tranſmittat.

Verum neque ratio temporis, id permittit, neque veſtra (Auditores omnium ordinum eminentiſſimi) in auſcultando æquanimitas, mea opinione, hoc patitur. Quare & † cætera hic prætermittenda, & in aliud tempus reſervanda ſunt, de quibus omnino etiam dicere hoc loco conſtitueram: ornamenta, inquam, eximia quædam & prorſus ſingularia hujus Academiæ: Viri, qui hiſce præteritis ſeculis eminuerunt in Univerſitate hac, ingenio & doctrina celeberrimi: Beneficia

 Dei

† Quæ hic relicta ſunt, exponentur accurate (σὺν Θεῷ) in Faſtis ſeu Annalibus Academiæ.

Dei immensa, quæ multis in partibus, & inprimis accensa verbi divini luce clarissima, in has oras & Academiam hanc uberrime, nostra & Patrum memoria, redundarunt: denique etiam clades studiorum atque adversitates, quas perpessa est hæc Academia diversis temporibus, a bellicis tumultibus, ab ingruentibus periculis funestæ & diræ pestilitatis, a Magnorum & præstantium virorum obitu, & aliis quibusdam caussis; e quibus tamen omnibus feliciter illa, per Dei gratiam, jam inde ab initio, semper eluctata est.

E diversis cladibus feliciter, usque ad hæc tempora, emersit Academia.

Id unum forte, propter adolescentes studiosos, supprimendum hoc loco non est: gratias nempe Deo præpotenti immortales, nos iterum atque iterum debere, quod inprimis hoc proxime præterito seculo, tam clara lux doctrinarum & Artium omnium, nobis affulserit. Quanta enim barbaries superiorum temporum, quantæ sordes & tenebræ fuerint in doctrina literarum & Artium, mani-

Gratiæ Deo debentur, pro luce, quæ nostris temporibus affulsit, literarum & Artium omnium.

manifestum omnibus est. Non deerat quidem ardor & cupiditas discendi, temporibus illis; sed qui facultatem aliquam & lucem ad docendum afferrent, admodum pauci, imo nulli reperiebantur.

In tenebris superiorum temporum discendi ardor ingens, sed occasio nulla.

Testantur nostræ matriculæ, quantus fuerit, in illo priori barbaro seculo, discentium concursus ad hanc Academiam; quanti fecerint plerique omnes, summo etiam & illustri genere nati, βραβεῖα illa seu præmia, vel potius testimonia eruditionis & doctrinæ publica, quæ bonarum Artium & aliarum disciplinarum Candidatis, etiam hodie (non nisi Graduum observato ordine) præclaro Majorum instituto, conferri in hac Academia solent. Non tantum enim juvenes præcipuæ nobilitatis, magno numero, priori illo dignitatis Scholasticæ gradu, qui Baccalaureorum est (ne quid de cæteris dicam) ornari voluerunt in hac Academia: sed etiam Comites & Barones, imo Illustres Imperii Principes.

Gradus & Tituli honorum Scholastic. in magno precio.

Multi Nobiles adolesc. imo & Comites, & Principes, Baccalaurei Philosophiæ creati.

Joannes PR. de Anhalt.

Docent Monumenta Philosophica, anno Christi 1448. Johannem Principem de Anhalt, Ascaniæ Comitem, Baccalaureum Philosophiæ & Artium publice renunciatum fuisse; Decano id temporis Bartholomæo Franco, Lipsico. Nec veritus est Jacobus quidam, Abbas Monasterii S. Martini apud Colonienses, & idem Conservator Universitatis studii Coloniensis (ut diserte nominatur in Matricula) inter primi Gradus seu Tituli petitores, nomen suum in hac potissimum Academia profiteri; anno Christi 1442.

Jacobus quidam Abbas, Conservator Academiæ Coloniensis.

Sed hi ipsi, in tanto etiam conatu & ardore studiorum, non potuerunt eum, quem optarunt, fructum ad Ecclesiam & Rempublicam afferre: ut nec alii, qui in illa prorsus infelicia tempora inciderunt; donec tandem, elapso isto quasi fatali inscitiæ & barbariei seculo, doctrinarum & Artium omnium lumen, Dei beneficio, Patrum nostrorum memoria, iterum accensum est.

Fructus Studiorum imperfectus, superiori tempore.

Quam

Quam ad rem in nostra hac Academia, annis ab hinc paulo minus C. sub inclyto Saxoniæ Duce GEORGIO, plurimum profuit eruditio & doctrina singularis illius, de quo ante dixi, Viri egregii, PETRI MOSELLANI. Is enim, cum linguarum cognitione præclara instructus esset, primus in hac Universitate, post RICHARDUM CROCUM Britannum, (qui & ipse Græcas literas aliquandiu jam in hac Schola docuerat) magno studio cœpit illustrare bonas artes & literas: de quo viro, & de statu simul hujus Academiæ, id temporis; imo & de Senatu Urbis honoratissimo, haud gravate audietis Erasmum in Epistola ad Ducem Saxoniæ Georgium, hoc modo scribentem: *Tuis nimirum* (inquit) *auspiciis, laudatissime Princeps, tuaque munificentia, Lipsiensis Academia jam olim celebris, ac solennibus illis studiis florens, nunc politioris literaturæ ac linguarum accessione per te sic est ornata, ut vix ulli cæterarum cedat. Tua benignitas excitavit atque evexit ingenium PETRI MOSELLANI, juvenis* magna

Primus in hac Academia, bonas artes & literas illustravit Petr. Mosellanus.

Judicium Erasmi de Mosellano; deque Academia hac & Urbe.

Petr. Mosell.

magnæ jam eruditionis, sed spei longe maximæ. Eadem (inquit porro) *HEINRICUM STROMERUM, Virum integritate summa singularique prudentia jam pridem spectatum allexit in istam Urbem; ut & Scholæ decus esset, eximie doctus Medicus, & Civitatis Senator gravissimus. Eadem SIMONEM PISTORIUM, Ordinarium Juris Professorem, ornat & fovet. Eadem GEORGIUM a BREYTENBACH, virum non minus clarum Juris Professione, quam generis Imaginibus. Atque optimi Principis exemplum imitatur Senatus pene universus, cum Magistratibus cæteris, optimis studiis ac virtutibus honorem modis omnibus habens. Quos omnes tam procul semotos a nobis, tamen ex amicorum literis, publicæque famæ præconio cognovi.* Hæc Erasmus, ad PRINCIPEM GEORGIUM, annis ab hinc XC. de Mosellano, & hac Academia nostra.

Heinr. Stromerus.

Simon Pist.

Georg a Breytenbach.

Ordo Senatorius.

Mosellanus, re adhuc imperfecta, moritur.

Quamvis autem Mosellanus, † morte præreptus immatura, non potuit opus tam præclarum & eximiũ, quod

† Venit in hanc Academiam Mosellanus, anno 1517. Obiit an. 1524. Ætatis suæ 31. Sepulchrum illius hæc verba habet, incisa lapidi, in Æde D. Nicolai: Μικρὸς ἔην ἔτος μορφὴν, γνώμην δὲ μέγιστος.

quod inſtituerat, abſolvere: tamen alii mox ſucceſſerunt in hoc literarum & doctrinæ ſtadio: & inter hos præcipue, duo illi φωςῆρες univerſæ Germaniæ, PHILIPPUS MELANTHON & JOACHIMUS CAMERARIUS; qui ambo literas politiores (hic in noſtra, ille in vicina Witebergenſi Academia) magna fide & induſtria docuerunt; & ad noſtra usque tempora, feliciſſime, æterni Dei beneficio, propagarunt. Et in hac quidem Academia, παραςάτας habuit Camerarius eruditiſſimos, in diverſis ſcientiis & artibus: D. WOLFG. MEURERUM quidem (Magnifici noſtri Rectoris parentem, τὸν ἐν ἁγίοις) tam in Medicina, quam Philoſophia excellentiſſimum Virum, & utriusque L. peritiſſimum: in literis vero Hebræis BERNHARDUM ZIGLERUM: in Mathematicis JOACHIMUM RHETICUM, JOHANNEM HOMELIUM, VALENTINUM THAVAM: Nec minus cæteræ Facultates ſupremæ ſuos quoque artifices habebant celeberrimos.

Ejus, in hoc genere, Δαδȣ̃χοι; Melanthon & Camerarius.

Παραςάται Camerarii in hac Academia.

D. VVolfg. Meurerus.

Bernh. Zigl. Joach. Rhet. Joh. Homel. Val. Thava.

Noſtri ſeculi felicitas.

Inde nimirum a ſordibus ſuperiorum temporum repurgatæ & emendatæ diſciplinæ omnes, exploſa Sophiſtica, illuſtrata Theologia, correcta juris ſcientia, reſtituta Medicina, ex tenebris barbarieque in lucem revocata Philoſophia: denique his ipſis artibus nitori ſuo reddita atque inſtaurata eſt tota Academia.

SED Orationem abrumpo. Tempus jam abiit: SECULUM SECUNDUM occidit: TERTIUM & NOVUM ſeculum, per Dei gratiam, feliciter illuxit.

Epilogus, conſtans Gratiarum actione & Voto.

In hujus exorſu, jam ad TE convertimus oculos & animos noſtros, ô Miſericors & ſempiterne DEUS, omnium temporum & ſeculorũ conditor: Tibi pro immenſa tua miſericordia & bonitate gratias agimus immortales, quod non ſolum excitaſti in his Miſniæ oris, & in hac florentiſſima Urbe, ſalutarem illam verbi ſalvifici & omnium doctrinarum & Artium honeſtarum officinam; ex qua tot hactenus Eccleſiæ tuæ & Reip. Chriſtianæ electa organa, in univerſam

versam Germaniam & alias finitimas atque exteras terras, tua gratia, prodierunt; sed eandem quoque præpotenti tua dextra, contra Satanam, qui hostis est doctrinarum & Artium bonarum, omnesque hominum inquietorum molitiones exitiosas atque pestiferas benignissime, per duo jam secula, conservasti: accendisti in ea, Magni LUTHERI nostri ministerio, lumen splendidissimum sanctissimi verbi tui; artes omnes & disciplinas, Ecclesiæ Tuæ & communi societati hominum utiles & necessarias, per viros in omni genere doctrinarum excellentissimos, ad hæc usque tempora, propagasti: cumulasti denique nos omnes beneficiis aliis, tam corporis, quam animi, innumerabilibus.

Fac quæsumus, æterne ac benignissime Deus, ut hoc quoque seculum almæ Universitati huic, & omnibus nobis, & qui post nos futuri sunt, felix, faustum, fortunatumque illucescat. Conserva in hujus

quoque

quoque Centenarii & temporum ſequentium decurſu, clarisſimam lucem verbi TUI ſacroſancti: Protege militantem inter hoſtes truculentisſimos Eccleſiam: tuere, ac ſpiritu ſapientiæ & roboris indue, ſerenisſimum S. Imperii Romani Septemvirum & Electorem Saxoniæ, CHRISTIANUM SECUNDUM; Fratresque Celſitudinis ipſius generoſisſimos, JOANNEM GEORGIUM & AUGUSTUM, Principes & Duces Saxoniæ inclytos, Dominos & Mæcenates noſtros clementisſimos; cum omnibus iis, qui ſunt de inclyta domo & ſtirpe Saxonica; ut portas gloriæ tuæ latisſime pandant, & hanc laudis & divinæ gloriæ Tuæ officinam, in poſterum quoque benigne ſuſtentent, protegant, amplificent.

Da, clementisſime Pater, ut non deſinant prodire ex ſtirpe hac generoſiſſima, qui ſerie continua, & hoc ſeculo & futuris temporibus, ſanctisſimo nomini Tuo ſerviant, Eccleſiæ Tuæ, artibusque bonis & lite-

literis optatum hoſpitium præbeant: denique inclytum hunc Ducatum Saxonicum tua gratia, quam florentisſimum, ad ultimam poſteritatem transmittant.

Reſpice, ô benignisſime Pater, hanc quoque Urbem & Remp. imo Regionem univerſam, oculis Tuæ Miſericordiæ: averte ab ea peſtem, famem, bella, diſcordiam: & conſerva nos omnes in veritate tua.

Gratia quoque tua & virtute præpotenti conſerva lucem Evangelii Tui, quod in finitimis provinciis, tua immenſa bonitate, inter Medias tenebras Pontificias, hoc tempore iterum emicare nonnihil incipit. Erige (ſi viſum eſt ſanctisſimo Nomini tuo) e ruderibus, quibus oppreſſa jacuit hactenus, ſalutarem illam Artium & doctrinæ officinam, quæ tanquam MATER olim hanc noſtram Academiam peperit; ut poſt tantum tempus, læta iterum ac quaſi regenita e ſqualore diuturno emergat, ac cum inclyta Univerſi-

Numerus Scholarium, qui CC. annorum intervallo, recepti sunt in Matriculam Academiæ.

versitate hac (quæ duorum præteritorum seculorum decursu, in album suum, ac quasi gremium maternum, adolescentes ac juvenes ingenuos SEPTUAGIES MILLE circiter recepit) etiam ineunte hoc seculo, & sequentibus temporibus, vel millies centena millia gignat eorum, qui TE, cœlestem ac Misericordem Patrem, cum Filio coæterno, Redemtore nostro, & Spiritu sancto, DEUM unum & trinum, præpotentem, æternum, gloriosum, laudent & celebrent, infinitis seculorum seculis.

D I X I.

PRO-

PROGRAMMA ACADEMICUM IN QVO BREVITER ET STRICTIM EA COMMEMOrantur, quæ fuſius oratione præcedenti expoſita ſunt.

RECTOR ET SENATUS CONSIlii Perpetui in Academia Lipſienſi.

ANnus hoc tempore (glorioſi ac præpotentis DEI gratia) finitur DUCENTESIMUS; ex quo alma hæc Univerſitas ſtudii Lipſ. e vicina gente Bohemorum, ejusque Urbe & Academia Pragenſi, tanquam colonia quædam, in hanc oram, & Urbem Miſniæ florentisſimam, ſingulari Numinis providentia, non ſine ingenti ordinum omnium, Urbis & Ditionis hujus inclytæ, applauſu ac congratulatione, primum deducta eſt. Cauſam atque occaſionem primam fuiſſe accepimus, Pragenſis Academiæ, quæ id temporis copioſisſima erat, & ſtudiis

diis liberalibus, doctisque hominibus, numero pene incredibili, affluebat, diſſipationem; exortam ab inteſtinis motibus, odiisque ac conflictionibus acerrimis, quæ tunc, inter initia διχοστασίας Huſſiticæ, de principatu ſeu regimine Academiæ, inter duas primarias Nationes, Germanicam & Bohemicam, exarſerant. Nam dejecti, Regia ſententia, de principatu Germani (quem ante id tempus, in Electione Rectoris, & Examinibus, cunctisque aliis conſiliis & deliberationibus publicis, ex Caroli IV. Imperatoris conſtitutione tenuerant) uſque adeo commoti ſunt animis, ut de relinquenda Pragenſi Univerſitate, conjunctis ſententiis, ſtatim conſilium caperent; jurejurando etiam interpoſito, ne quisquam Germanorum, poſt cæterorum diſceſſum, in eo loco, ſtudiorum gratia, remaneret. Ea igitur re factum eſt, ut Anno CHRISTI M. CCCC. IX. cum publicata jam eſſet Regis ſententia, Germani

in

in magna frequentia Nationum omnium, præſentibus quoque Conſulibus majoris Civitatis Pragenſis, INSIGNIA RECTORATUS; nempe Sigillum Univerſitatis, Statuta & Matriculam; per *M. Henningum Boldenhagen*, id temporis Rectorem Academiæ Prag. eumque poſtremum e Natione Germanica, Solenni adhibita Proteſtatione, deponerent: Die nimirum XI. M. Maji, circa horam I. poſt Meridiem: atque inde, paucis interjectis diebus, e Civitate Pragenſi abirent univerſi; tanto numero ac multitudine, ut intra octiduum, Magiſtri, Doctores, Baccalaurei & Studioſi, ferme VICIES MILLE (imo, ſi credimus Hageco, Scriptori Boh. QUADRAGIES MILLE) ex Bohemia diſceſſerint. Cum vero alii (ut fit) alio commigrarent, ut hoſpitium Muſis, ſedemque idoneam quærerent; in hanc quoque regionem, vicinam Bohemiæ, & præcipue in Urbem Lipſenſem, magnæ catervæ ſtudioſorum (numerum ajunt excreviſſe ad DUO MILLIA) Duce &

F Autore

Autore Joanne Hofmanno Suidnicensi Silesio, cujus tunc præcipua autoritas erat, confluxerunt; & se suaque studia contulerunt in fidem & patrocinium laudatissimi Principis, Friderici, cognomento Bellicosi, Primi ex inclytæ Stirpis Saxonicæ Ducibus (e Marchionum Misnensium prosapia) Septemviri & Electoris; qui sapientia, fortitudine ac potentia, inter Imperii Principes, maxime ea tempestate eminebat. Hic Princeps sapientissimus, cum dignitatem studiorum liberalium, utilitatemque inde ad omnes vitæ humanæ partes promanantem, satis intelligeret, patronum se perbenignum exhibuit dissipatis & exulantibus Musis; Dum non solum eas, cum Principe inclyto, Wilhelmo Fratre, liberalissime recepit, & in hac urbe ac sede collocavit; Sed etiam præsidiis necessariis atque immunitatibus ita sepsit, ut non ad seculum unum aut alterum, sed ad perpetuitatem quandam egregie comparata omnia videri possent. Deerat adhuc

huc Confirmatio usitata a superiori Potestate; quam & ipsam, more ac consuetudine temporum illorum, commodavit ALEXANDER V. Pontifex summus; qui privilegia Novæ huic Academiæ large liberaliterque contulit; diplomate misso ex urbe Pisis (ubi Papalem non ita pridem obtinuerat eminentiam) die IX. M. Septembris, ejusdẽ anni M. CCCC. IX. Quod diploma cum brevi post allatum huc esset, Constitutio demum Novæ Academiæ Lipsensis, in Cœnobio Canonicorum Regularium ad D. Thomæ (præsentibus inclytis PRR. Fundatoribus, cum Episcopis, Prælatis, Magistris & Doctoribus, magno numero congregatis) solenniter publicata fuit anno eodem, Feria secunda, post primam Dominicam Adventus Domini; quæ hoc anno in diem IV. M. Decembris incidit. Hic igitur est Natalis, hic ortus, hæc prima quasi incunabula Universitatis Lipsicæ; quæ sicut matrem habet Academiam Pragensem Bohemicam; ita Aviam Parisiensem

in Galliis, & Proaviam Bononiensem in Italia, non immerito agnoscit. Nam multa habet, tum in ipsa Constitutione, tum Privilegiis, cum prædictis his Academiis communia; ut instar generosæ stirpis velut enata ex illis atque proseminata esse, non sine causa, videatur. Quemadmodum vero præclare hanc Academiam constituerunt Fundatores primi, Principes sempiterna memoria dignissimi: Sic eandem multis accessionibus locupletarunt, ornarunt & auxerunt, annis sequentibus, illustrissimæ Prosapiæ Saxonicæ Principes & Electores laudatissimi. Nam & horum opera postea impetratum fuit Privilegium memorabile SIXTI Pontificis, quo cavetur; *Ne membra Academiæ Lipsicæ ad extraneum trahantur judicem*; Quod Privilegium anno Christi M.CCCC.LXXXI. editum est: Et THILONI, Episcopo Merseburgico, eodem tempore datum est negotium, ut quandam Academiæ Correctionem susciperet, inque ordinem, quæ lapsu temporis deprava-

ta aut dissipata quoquo modo viderentur esse, redigeret: Quod factum ab eo fuit, anno LXXXIII. post M. CCCC. a nato Salvatore. Extant etiam beneficia in hanc Academiam præclara & eximia Principis optimi, GEORGII, Ducis Sax. qui præter cætera operam dedit, ut depulsa barbarie, paulatim in Academiam hanc politiores introducerentur literæ; evocato ad eam rem, ex Treviris, viro egregio, PETRO MOSELLANO; cujus quidem opera non diuturna, sed tamen admodum utilis & fructuosa huic Academiæ fuit. Sequutus est tandem generosissimus Heros, & Dux Saxoniæ fortissimus, MAURITIUS Elector, qui non solum cœlestis doctrinæ cultum & propagationem liberalissime promovit in Universitate hac: sed in ea quoque ornanda & amplificanda suam munificentiam, tanto Heroë dignam, prolixe demonstravit. Nam ædes Paulinas, quas Monachi ante possidebant, cum adjunctis aliquot pagis & Sylvis, Universitati liberalissime

 dona-

donavit; Oeconomiam in iisdem, pro tenuioris fortunæ ſtudioſis, inſtituit; Certa ſtipendia, Theologica præſertim, ordinavit; Salaria Profeſſorum amplificavit & auxit. Quibus adjumentis, divinis & humanis, emendata eſt Academia tota, exploſa Sophiſtica, & facta in omnibus diſciplinis doctrina illuſtrior; Repurgata Theologia, aucta juris ſcientia, correcta Medicina, & ex tenebris barbarieque revocata Philoſophia, & reducta in forum eloquentia. Hunc ſtatum Academiæ, ſatis florentem & integrum, non ſolum poſtea conſervavit Potentisſimus & Illuſtrisſimus Saxoniæ Dux & Elector AUGUSTUS; Sed multis etiam modis, univerſali edita Reformatione, clariorem eundem illuſtrioremque reddidit. Nec minori cura atque ſolicitudine in eam rem incubuit laudatisſimæ memoriæ Princeps, CHRISTIANUS I. Elector, Filius; cujus erga Academiam hanc affectio paterna, ſtudiumque in ea augenda & illuſtranda incredibile, adhuc

quodammodo ante oculos nobis omnibus obversatur. His vero Nutritiis Academiæ nostræ, τοῖς ἐν εὐλογίᾳ, benignissimis ac munificentissimis, accedit hac nostra quoque tempestate serenissimus Princeps, CHRISTIANUS II. Saxoniæ Dux & Elector &c. Dominus noster clementissimus; qui cum Generosissimis Principibus, Fratrib9, JOHANNE GEORGIO & AUGUSTO, Saxoniæ Ducibus Illustrissimis, similiter omni cura studioque hoc ipsum agit, ut cum verbi cœlestis doctrina sincera atque incorrupta, hæc quoque Academia sit, & permaneat in posterum, quam florentissima. Quam paternam voluntatem, & affectionem clementissimam, multis hactenus signis & documentis ostensam evidentissimis, ut etiam deinceps serenissima ipsius Celsitudo, cum Fratribus Illustrissimis retineat erga bonas artes ac literas, earumque Doctores fideles, ac cultores industrios; & simul in hoc munere gubernationis eminentissimæ, vivat, valeat, & tam corpore,

quam animo diutisſime floreat; Deum miſericordem ac præpotentem, ex intimis pectoribus, merito precamur univerſi.

Ex his, quæ commemorata hactenus ſunt, perſpicuum eſſe arbitramur, unde prodierit, a quo fundata, qua ratione conſtituta, quibus acceſſionibus & præſidiis aucta firmataque ſit Academia noſtra. Porro ſi jam utilitates & commoda multiplicia percenſere vellemus, quæ ex Academia noſtra in laudatisſimam hanc Rempublicam, in hunc Miſniæ ducatum florentisſimum, in alias longe disſitas Nationes atque Provincias uberrime redundarunt, non ſolum charta nos, ſed etiam verba deficerent. Id certum eſt, ſapientisſimum Principem Fundatorem hujus Academiæ, rem feciſſe æterno Deo imprimis gratam, Urbi vero & provinciæ huic, imo Orbi Chriſtiano toti, apprime utilem & ſalutarem; Nec melius de ſuis poſteris mereri eum potuiſſe, ſi vel totius regni Bohemici opes & Theſauros in Miſni-

am

am importasset. Ex hac enim Academia, per totos jam annos CC. decus eximium & sempiternum literarum, & simul verbum cœleste; sincerum & incorruptum, in omnem hunc Ducatum, & Orbem latissime emanavit. Lipsia igitur hæc, quæ ante fundatam Academiam, non nisi Misniæ, aut certe Mercatoribus tantum exteris ab emendis vendendisque mercibus nota erat; ab eo tempore cœpit esse nobile Emporium rerum longe preciosissimarum, quæ animum hominis scientia liberali, linguam eloquentia, vitam ipsam virtutibus pulcherrimis ornant, muniunt, locupletant. Unde Respublica hæc nominis sui famam, non modo per vicinas terras, sed etiam per universam Europam & alias quoque Mundi partes, ubi Musis & humanitati locus est, longe lateque disseminavit.

Id vero tantum beneficium, a præpotenti Deo nobis in hujus Academiæ conservatione benignissime præstitum, cum par sit omnium

ore deprædicari, gratisque agnosci animis; præsertim hoc tempore, quo Secundum a fundata Academia desinit, & jam novum idque Tertium init Seculum: Idcirco de Serenissimi Electoris nostri sententia ac voluntate clementissima, visum est, publico hoc programmate Festivitatem Academiæ Secularem indicere; hortarique ac commonere omnes scholasticæ nostræ Jurisdictioni subditos, ut Feria secunda post I. Dominicam Adventus (quæ lux natalis est Academiæ nostræ; incidens hoc anno, in diem IV. M. Decembris) ad eam solennitatem frequentes conveniant, & nobiscum vota ad Deum præpotentem, pro alma hac Academia, ejusque conservatoribus inclytis, serenissimo Electore, & Illustrissimis Ducibus Saxoniæ, cum religiosa & devota pietate faciant. Ad quam solennem actionem celebrationemque & invocationem divini nominis seriam & ardentem, ut paulo magis exuscitentur atque inflammentur pia pectora;

rá; non abs re etiam fore visum est, duas haberi, pridie ejus diei, conciones Ecclesiasticas, in oppidanis templis, ad eandem festivitatem secularem præcipue accommodatas. Quibus concionibus duabus rursum una, die altero, accedet homilia ad populum, in Parochiali templo ad D. Nicolai: & per hanc quasi initium festivitatis Academicæ fiet. Ea finita demum (circiter VIII. horam) mox solenni comitatu in Templum inde Paulinum ibitur; atque ibi cætera, quæ festivæ hujus solennitatis propria sunt, tandem peragentur.

Quod ergo reliquum est, studiosam præcipue juventutem monemus & hortamur denuo, ut prædicto die ad celebrandum hunc ducentesimum Academiæ Natalem mature confluant, nec tantum corporibus sed etiam animis præsto sint, audiantque ac cognoscant per silentium ea, quæ in seculari hac Panegyri dicentur, tum de Academia ipsa, ejusque fundatione, incrementis & fortuna mirabili per duo præterita secula;

cula; tum de utilitatibus immensis, quæ ex Academia hac partim in universum Misniæ Ducatum, partim in alias terras atque provincias uberrime emanarunt. Cogitent præterea, quantum sit Dei beneficium, quod tanto tempore locum hunc voluerit esse exoptatum hospitium Musarum, hoc est studiorum liberalium, & Ecclesiæ Christi salutarem officinam; Gratias eidem agant devotis pectoribus, pro cœlesti auxilio præstito hactenus Ecclesiæ Christi in his oris, & inclytæ urbis hujus Academiæ; supplices quoque futurum hoc seculum & si quæ porro sequentur tempora, divinæ protectioni commendent. Denique (ut decet Christiana pectora) cum lætitia ac jubilo festum hoc agant seculare; QVOD NEMO NOSTRUM VIDIT, NEMO VISURUS EST. Pp. Lipsiæ sub exitum seculi secundi a fundata Academia; qui incidit in ultimum Mensem anni M. DC. IX. a nato Salvatore.

Ἀγαλλίαμα,

Ἀγαλλίαμα,

in

Solennem

Jubilæi primum-Anni, Secularis toti Academiæ Secundi Festivitatem,

sub

Rectoratu hyberno

Magnifici Viri

DOMINI CHRISTOPHORI MEURERI,

Philosophiæ & Medicinæ Doctoris, Mathematum Professoris & Physici Ordinarii;

Anno 1609.

Postridie I. Adventus Mense Decembri,

Factum & affixum ad D. Pauli,

a

M. VALENTINO HARTVNGO Lipsiensi P. L.

ILLUSTRISSIMI ATQUE POTENTISSIMI
Principis, Electoris

CHRISTIANI SECUNDI,

ad
Annum Jubilæum
Legato
Nobiliss. & Splendido Viro, Dn. Godefrido a Wolfersdorf, *hæredit. in* Marckersdorf *&* Dölitz, *Weissenfelsensis arcis Præfecto & Curiæ Supremæ Lipsiensis Assessori &c.*

ILLUSTRISSIMI ET PIENTISSIMI
Ducis

JOANNIS GEORGII,

Episcopi Martisburgensis Legato
Nobilissimo & strenuo Viro, Dn. Nicolao a Sack, *hæredit. in* Dolnutz am Berge/ *&c.*

Reverendissimi Capituli Martisburgici
Legatis
Nobilissimis & Excellentissimis viris
Dn. Alberto a Rötzschwau.
Dn. Eustachio Mullero J. U. Doctori &c.
Et deniq; celeberrimæ Academiæ Witebergicæ
Reverendis, Magnificis, Excellentissimis & clarissimis
Legatis Quatuor-viris
Dn. Leonharto Huttero SS. Theol. Doct. & Professori.
Dn. Bartholomæo Reusnero J. U. D. & Ordinario.
Dn. Danieli Sennert Med. Doctori & Professori.
Dn. Jacobo Martini Logicæ Profess.

Magnificis meis Dominis & nimiopere observandis Patronis,
Pro nominis memoria vel in alterum Jubilæum propaganda, offero Poëta.

Jubila principium; medium sunt jubila; totum
Jubila sunt hodie, jubila finis erunt.
Jubila prima, Deus, Tibi; jubila Christe secunda;
Tertia sint, Flatus, jubila, Sancte, Tibi.
Cujus ab auspicio Triados nunc altera surgunt
Lipsiaco fauste Secula Gymnasio.
Jubila pro dono sint clara superstite vitæ,
Jubila præsentis proque nitore diei.
Jubila proque bonis aliis, quibus obruis omni
Nos, Pater alme, foco; nos, Pater alme, loco.
Jubila divino cantent reverenter honori
Angelici, nullo jubila fine, chori.
Jubila per celsas iterent Genii ætheris arces,
Sancti perque auras jubila quarta ferant.
Vox sonet una, Deo sacra jubila sunto. Reclament
Omnia, sint nostro jubila prima Deo.
Jubila prima Deo: sed & altera jubila Christo;
Tertia Spiritui concinitote sacro.
Jubila deinde Duces: sed jubila quinta Sereno
Gutture Prælustres exseruisse velint.
Jubila enim merito fuerint Prælustria. Nobis
Jubila tu primum, Dux Animose, facis.
Clanguit ad ravim tuba jubila, jubila cœlo
Plurima eunt, votis jubila fœta suis;

Dum

Dum ſchola de certis indignabunda querelis
Praga abit, ad Philyræ dumque adit illa lares.
Jubila quot pueri tum, jubila quanta puellæ,
Jubila quanta Viri, jubila quanta ſenes
Effuſi ad portas dederint, mirabere. Ut ingens
Agmen apum, Sophiæ convolat iſta cohors,
Jubila continuant reliqui conſtante tenore;
Jubila MAURITIUS ſed ſibi plena movet,
Jubila MAURITIUM tollent vel ad orbis utrumq;
Jubila jam ſonitu conduplicanda, polum.
MAURITIO muros Academia debet avitos,
Paulinæ priſcis ædis imaginibus.
MAURITIO pagos Academia debet avitos,
Debet & e ſylvis ligna reciſa ſuis;
Pluraque MAURITIO debet. Date jubila, lauto
Jubila comploſu ferte referte Duci.
Quin cinis ILLUSTRIS bona jubila ſentiat olim
Inſigni certa ſpe redivivus humo.
Jubila an AUGUSTO non ſint Auguſta Dynaſtæ?
Jubila voce pari? jubila luce pari?
Ceſſit enim in vere-MAGNI veſtigia FRATRIS,
Et quoque conceſſit munera magna Sophis.
Jubila per canos maneant hæc ſera nepotes;
Jubila cum tanto ſint bene digna Duce.
Jubila CHRISTIANUS ſibi demeret optima PRIMUS,
Cujus & excelſas hæc ſchola ſenſit opes;

Ac

Ac mage ſenſiſſet, niſi livida mentis amicam
Herois vitam diſſecuiſſet acus.
Jubila præluſtri quid ſubdola Parca Dynaſtæ
Invidet? ô manes jubila habete pii!
Jubila CHRISTIANUS ſibi diſcupit alta SECUNDUS,
Proque ſerena ſuis jubila muneribus!
Euge abavis & avis felicior! Euge parente
Proſperior! ſoli jubila viſa tibi.
Jubila centenos tantum celebrata per annos,
Jubila bis Celſis te Duce facta ſcholis.
Retro annis aliquod Viteberga: ſed auſpice Te, unum
Vidit & exegit, quem Philyrea videt.
Jubila CHRISTIANO ſint promta ſecunda SECUNDO,
Jubila CHRISTIANO jam peragenda modo.
Jubila, qui Dux es, qui CANCELLARIUS audis
Huic Academiæ, jubila nulla tibi,
JANE GEORGI, inquam, fiunt? ſi nulla Camœnæ
Jubila concinnent, illa Diana dabit;
Jubila per ſaltus tibi per tractusque ferarum
Et ſylvas Fauni Naiadesque canent.
Jubila Pierides, licet ipſa Diana ſileret,
Ob meritas laudes, Dux GENEROSE, cient.
Jubila Sionides aucta pro prole ſonabunt,
Munere quo gaudet Miſnia tota ſibi.
Jubila PRÆLUSTRI canite en INFANTULÆ in almis
Cunis, ac ſomnos conciliate ſonis.
Jubila at AUGUSTUS nec forte minora popoſcit,
Jubila RECTORI dum ſibi viſa ſemel
Splendide & auguſte. Quid, quæſo, nitoris haberet
Secula præſenti ſi fruerentur HERO?

Scilicet adspectu se pasceret hocce Lyceum
Atque darent magno jubila magna Duci:
Jubila cum votis Dux accipe, vive, perite
Doctus item doctos perge fovere Viros.
Quin etiam VIDUA & conjux ILLUSTRIS utrinque
Jubila promereant, proque salute ferant.
Nec tamen ILLUSTRIS sileat Legatio: verum
Jubila crebra canant; jubila crebra sonent.
Nec tamen externi proceresque Virique Lycei
Leucorii demum jubila clara præmant.
Jubila MAGNIFICUS porro, quatuorque Decani,
Atque Professores jubila mista movent.
Et merito. Quis enim potius deberet & illud
Mallet, idemque cohors jam studiosa facit.
Ecce polus vario distinctus puriter orbe
Jubila concentu prolicit harmonico.
Æolidæ fratres jam jubila murmure miscent,
Fluctus & assurgens jubila multa ciet.
Jubila de turri major campana minorque
Ingenti sonitu disvariata dedit.
Singula quid referam modo jubila? jubila nulli
Non sunt in lingua aut jubila in ore virum.
Jubila conduplicate, manu complodite utraque,
Jubila ter vestris ingeminate animis.
Jubila, jubila, jubila, jubila, jubila: sed faux
Rauca, sed hæcce brevis jubila charta facit.
Sola MAGISTRATU restant pro jubila nostro.
Nullus enim moritur RECTOR in imperio.
Jubila læta valete, suoque Poeta quod olim,
Crediderim liquido, fecerit officio.

FINIS.

Jubi-

Jubilare Carmen
In
ACADEMIA
LIPSIENSI,

Cum ea maxime ſolenni feſtivitate
inſtituta, annum Secundum Centeſimum
nunc primum celebraret,

Die IV. M. Decemb. anni 1609.

Dictum

a

M. CUNRADO BAVARO
HALLENSI, POETICES PROFESSORE:
Majoris Principum Collegii Collegiato.

Acceſſit

LAUS LIPSIÆ

peculiari Carmine celebrata.

AMPLISSIMIS VIRIS,
SPECTATA DIGNITATE, PIEtate, prudentia, virtute, atque autoritate præstantissimis,
CONSULIBUS AC SENATORIBUS Inclytæ Reip. Lipsiensis gravissimis, Dominis, Patronis, ac Fautoribus suis honorandis.

CUm Serenissimi Dn. Electoris nostri benignissima concessione, ex instituto Academiæ celebranda esset Secularis festivitas; qua exhibitorum beneficiorum per tantum temporis spatium grata recoleretur memoria, & pro ulteriori conservatione Academiæ oraretur, adhibitis peculiaribus quibusdam Solennitatum ceremoniis: partes dicendi in isto Actu peculiariter impositæ fuerunt M. JOHANNI FRIDERICO, utr. L. & hist. prof. qui illius Academiæ initia, progressum, & rationem omnem diserte explicaret: Et mihi, qui totum Actum decente gratiarum actione pie ac læte concluderem, quatuor Facultatum distinctis

orationibus in aliud tempus reservatis. Quod ut meo loco expedirem rectius, res mihi visa fuit repetenda altius, & magnitudo beneficiorum ostendenda planius, qua consideratione ad gratias concipiendas animi Auditorum accenderentur magis. Res processit feliciter: Auditi sumus uterque, mira attentione, & voluptate incredibili, tandemque pro salute atque incremento Academiæ, ab omnibus congratulando plenis vocibus conclamatum, atque illius diei, ut & sequentis, lætitia, in laudem præpotentis Dei, festiviter continuata: ut ita de ulteriori Academiæ conservatione, & animorum firmiori conjunctione, deposita omni simultate, non tantum inter Academicos ipsos, sed & Senatum hujus civitatis Ampliss. utrinque, dubitare non liceat: Cum & ipse devote atque hilariter isti Actui interfuerit frequens, bonamq; & commendabilem partem sumptuum sponte contulerit: Cives etiam non pauci Academicam hanc festivitatem af-

fectione præclara, solitaq; benignitate promoverint. Qua re ostensum est liquido, non minori gaudio ac lætitia Musas commorantes retineri, quam huc adventantes olim receptæ fuissent. Constat enim omnibus, vel ex Pragensium calamitate, contemptum, vim atque injuriam Musas non magis ferre posse, quam fumum apes, quo facillime fugantur ac dissipantur. Sperabam autem fore (quandoquidem hanc nostram lætitiam angustis terminis non contineri, sed cum plurimis communicari oportere putarem) ut uno intuitu omnia exhiberentur conjuncta: sed quia diversum fieri animadverto, ut non tantum conciones ad populum factæ, sed & oratio Friderici, cum præfatione quadam exierit; jussus a Superioribus meum quoque μέρος tandem emitto, cum honorifica compellatione eorum, quibus peculiariter id honoris deferendum esse existimavi, pro singulari erga Musas & earum famulos affectione: & hospitalitatis officio tam diutur-

no ac benigno, cujus vel ignoratio, vel violatio, non tantum turpis, sed ignominiosi cujusdam stigmatis dedecore notanda esset. Vobis ergo, Consules ac Senatores Amplissimi, hoc meum Jubilare Carmen inscribo & offero, propter causam jam indicatam; Et quod ex eo Urbis vestræ felicitas, quæ Musarum ope cumulatior efficitur, manifestius appareat: Cui Carmen etiam peculiare, in laudem civitatis vestræ addidi; Nec dubito, quin, pro singulari vestra humanitate, hanc meam laudi ac honori vestro inserviendi voluntatem sitis benigne habituri, & Musis deinceps, tum communibus, tum meis etiam peculiariter, faventuri. B. Valete. Lipsiæ, Cal. April. anni 1610.

Ampl. VV.

Studiosiss.

M. Cunr. Bavarus,

JU-hubila laeta Deo fas est cantare potenti,
Atque immortales ingenti carmine grates,
Pro bonitate sua, pro donis gaudibus istis:
Quod nobis Artes de cœli vertice summo
Concessit varias, lingvarum & munera trina,
Quis sine nil tellus, umbris nisi plenus Avernus,
Quis sine Sol fulget nullo spectabilis ore,
Quis sine lux tenebræ, sine quis nox ipse dies est.
Illæ Artes hominum sermonem, & pectora formant,
Et rerum complent ea cognitione bonarum,
Mitibus atque feros mores mutare laborant;
Hinc aliæ expellunt morborum semina dira,
Et vitas hominum producunt suavibus herbis:
Justitiæ hinc aliæ & Juris documenta reponunt,
Judicioque gravi discernunt omnia facta,
Virtuti decus, & sceleri mala damna parando.
Has inter stellas Sol Verbi clarior exit,
Et magis illustrat specioso lumine terras,
Atque serena facit nimium mortalia corda,
Vivacique beat per secula longa decore.

Recte aguntur Deo gratiæ pro Artium & lingvarum concessione.

Exponitur Lingvarum & Artium utilitas;

Et Verbi cœlestis puritas.

Amplificatio utilitatis per collationem rerum preciosarum.

O nos felices, atque omni ex parte beatos,
Munera quos tangunt Divorum talia plene:
Hi sunt thesauri cœlestes: Vilius aurum est,
Quod foditur venis, quod præfert regia signa,
Artificisque manus miro quod fulget honore:
Et gemmæ viles, cælesti rore madentes,
Quodcunque in precio est aliud vilescit ad illa,
Pondere quæ superant mare, cœlum, atque æthera longe.

Conclusio ornata diuturnitatis mentione.

Rerum usu istarum quis nos gaudere vetabit,
A proavis multis, quas tanquam flumine largo
Ad nos deduxti, Fons ô bonitatis, amore
Perculsus magno, servans per secula bina,
Atque beans large nostros sine fine penates?
Noscimus hæc memores, Deus ô tua maxima dona,

Modus Gratiarum.

Et bonitate tuâ lætamur, itemque sonamus
Vocibus atque tubis meritas, & Carmine, grates,
Atque tuæ laudi solennia festa dicamus,
Ponentes aris votivi thuris honores:
Conclamant pueri, & concentibus aëra mulcent,
Atque senes tacito sub pectore gaudia volvunt,

Et

Et lætos cantus illorum voce sequuntur:
Laude pia reboat fornix, templumque remugit,
Et pæane novo cœlum undique solvitur altum.
O mihi si liceat tantarum pondera rerum
Complecti mente, ac meritorum extendere molem,
Quæ patribus nostris, & nobis præstitit, inde
Per duo secla DEUS, quîs hæc Schola floruit, alma
Multarum mater, dulcis nutricula vitæ:
Sed quia lingua labat, nec vox sat idonea cessit,
Nec mihi sufficiunt ad talia Carmina vires,
Qualia res poscit, vel qualia poscitis Ipsi,
Quos amor & pietas hæc visere Sacra coëgit,
Atque preces nostris votis conjungere vestras:
Nec fas sit fugere, aut jussum violare laborem,
Quod potero faciam: Lactentum linguaque lausque
Nempe DEO grata est, cunctis & amabilis Ipsa est.

Extenuatio facultatis Poeticæ, quæ magnitudinem rerum non assequatur.

PRincipio inventum non est Academia nostrum,

Commendatio studiorum a

Nec

causa est: quae est Deus.

Nec nostrâ curâ servatur, sive labore:
Non est colluvies hominum, consumere fruges
Natorum, veluti rude vulgus cogitat esse,
Ut DEUS est autor tantorum nempe bonorum,
Et largitor opum, quas tellus, vel mare fundit
Omnipotente sinu, vel quas cœlum undique spargit:
Sic Artes, monstrante DEO, & Sapientia cuncta
Lumine divino, ceu fax accensa, relucet:
Is dedit, Is servat clemens, tutatur, & auget.
Is cœtus hominum ut civili fœdere junxit:
Sic his doctrinæ curam, & virtutis amorem
Indidit, & stimulos Veri & Recti addidit illis,

Occupatio: Artium studia ab Ethnicis inventa & ad nos delata sunt; Ergo improbanda.

Artes inventas si quis contrarius esse
Dixerit, atque habitum si dixerit esse Lycéum
Gentibus impuris, à cognitione remotis
Verbi cœlestis, humana quod omnia damnat:
Hincque Artes culpare velit, Sapientiæ & usum,
Quem monstrant nobis congesta volumina magni
Plurima Aristotelis, vel scripta diserta Platonis,
Sive etiam grandi sonuit quæ Tullius ore,
Et si quæ, vicina DEO gens illa, Poëtæ
Con-

Congessere, modis & dulcibus accinuére:
Quosque humana viros sapientia tollit in altum,
Despiciat, damnetque: Quid is, nisi munera summi
Larga DEI damnet, quæ Gentibus addidit ipse?
Qui non agnoscit, divini Numinis, Artes,
Munera, per gentes quæ parta relicta fuére;
Si modo non tradant contraria dogmata Verbo,
Luxurientq; nimis, capiant sed dura capistra,
Ille DEO Gentes non æstimet esse creatas.
Invisum spolium est, Legi ac damnabile semper,
Et res ipsa potest cunctis injusta videri,
Non propter sese: Res est bona quælibet usu:
Sed quoniam accessit Legi contrarius actus,
Res damnata venit sub censu judicis: atqui
Purgato vitio res libera quælibet exit:
Sic Artes damnare potest has nullus abusus,
Si vitium expurges, atqve usus in meliores
Convertas, laudemq; DEI spectare potentis
Si cupias, spectare hominum cupiasque salutem.
Quæ pietate caret, non est sapientia: verum
Improbitas turpis, sapiens Plato dixit aperté.
Agnovere DEUM Gentes, sanctumque habuere,
Quamvis non scierint qua sit ratione colendus.

Confutatio objectionis 1. Concessione.

2. Recti ac salutaris usus monstratione.

Excusantur Ethnici, quod de DEO nequaquam improbe aut contumeliose scripserint: de virtute autem nimis recte,

A Jo-

A Jove principium rerum, & Jovis omnia
plena
Qui dixit, dixit nihil a pietate remotum:
Grata DEI Fama est hinc undique sparsa per
Artes:
Exosa improbitas fuit omnis Gentibus, Illis
Maxima laus semper fuit in virtute locata,
Longius haud potuit Ratio procedere recta,
Quandoquidem careat cœlestis lumine
verbi.

Commendatio studiorum, à causa materiali, sive naturarerum: 1. cœlestium.

Non homini frustra Ratio est concessa, nec
ille
Ut brutum debet cœli convexa tueri
Luminibus distincta suis, & motibus aucta
Tam variis: Certa quod Sydera lege fe-
runtur,
Haud quaquam frustra est: pluviasque æ-
stusque ciére,
Et lucem nocti distinguere Sydera, nostris
Atque animis varios affectus addere pos-
sunt.

2. Terrestrium.

Nec frustrâ Natura parens abscondidit imis
In terræ claustris, quarum est rerum usus a-
morque
Plurimus, ut careant nec & infera Numine
largo.
Nec DEUS humano generi invidet abdita
dona,
Sed preciosa manu quærentibus omnia
promit.

Orna-

Ornavit terram DEUS undique gramine
&herbis,
Mirandas vires quibus addidit, haud sine
causa:
Noluit ignotam contemni quamlibet herbam.
Corpora torqueri cum jusserit undique morbis,
Hinc morbis etiam medicamina quando paravit, *3. Corporis humani.*
Occultata tamen, Medicamina quærere
jussit.
Vt taceam reliquas terreno in corpore dotes,
Seu maris, aut campi, sive ætheris undique
pleni
Tam variam numero prolem, tam mole stupendam,
Vnde DEI autoris Sapientia noscitur
alma.
Et justi & recti quamvis in pectore nostro *4. Mentis humanæ.*
Semina sparsa latent: virtutem clarius ipsam
Cernere per varias leges tamen inde licebit:
Discimus hinc vitam & mores formare decenter,
Justitiæ ad normam, qualis mens dia putatur,
Et pœnam dictare malis, & recta probare.
Istorum causam Studiorum præbuit ipse
Cunctarum rerum solus fabricator & autor: *Progressus ad causam efficientem.*

Inge-

Ingenium Ille homini tribuit, cœlùmque tueri
Jussit, & hinc vires rerum & spectare figuras.
Naturæ codex primus mortalibus inde
Extitit, hinc studium late atque industria crevit:
Quos amor istarum rerum sociavit, & auxit
Cognitione bona, nonne hæc Academia vera est?
Est mundus Codex partesq; volumina claudit
Nullius ingenii vis finem Codicis hujus.
Omnia plena DEO, & miris sunt omnia plena,
Seu cœlum spectes; seu spectes infera cuncta,
Quæ prodit tellus, & cœli terminus ambit.

3. Commendatio studiorum ab effectu, quod est ὁμοίωσις τοῦ θεοῦ. ἀμάθεια, reprehenditur, & simul doctrinæ utilitas commonstratur.

Ille DEO propior, qui plus intelligit, esse
Creditur, atque Comes virtutis proximus omnis.
Dignus honos ergo manet, & reverentia digna
Secrevit vulgo quos larga scientia inerti
Et propiore gradu cœlo Divisque locavit.
Cur pandis rictum, cur dentes stringis in illos
Vulgus iners, quotquot Sapientia larga beavit,
Quorum orbis totus magno splendore coruscat,
Consiliis Regnum qui servant, mœnia firmant,

Qui-

Quique domos junctas, & qui bona parta tuentur,
Qui te quique tuos omni ratione juvare
Nituntur, cunctis & qui prodesse laborant?
Tale ministerium precio non posse vel amplo
Æquari certum est: Præstat Sapientia cunctis.
Quapropter Regum pro doctis cura juvandis
Magna sunt semper, studium & laudabile, ut omnes
Contra vim tutos, & contra noxia damna
Discentes pariter præstarent, atque Docentes.
Et quia sponte sua, magno virtutis amore,
Nec non doctrinæ studio; patriæ, atque suorum
Obliti, vitæ immemores, sortisque futuræ
Degentes Musas alio sub Sole seqvuntur:
Securasque vias his constituere Priores,
Et sine eos censu fecerunt ire redire.
Ac ne dificerent aliquando alimenta profectis,
Constituit Regum his stipendia provida cura
Concessitque domos speciosas, omnia tuta,
Et satis ampla sui tribuit documenta favoris.
Regius est curare labor studia optima, Musas,
Et servare pias, est gloria maxima, Musas.

Adjunctum doctrinæ perpetuum favor Regum & Principum.

2. Concessio privilegiorum.

3. Constitutio stipendiorum.

Commemoratio Benefactorum ac Patronorum doctrinæ præcipuorum.

Cæsaris hinc fama est illustrior omnibus oris,
Hinc micat *Augustus* cœli inter sidera clare,
Hinc immortali Mœcenas laude virescis,
Et si quos alios patronos ordo recenset
Longior, æterna vivunt post funera famâ,
Inter quos amplo stat *Justinianus* honore,
Qui Musas magno complexus semper amore est.

Friderici Imperatoris laus insignis & immortalis

Fridrici est *Habita* immortali laude feretur,
Cujus non capiet meritorum oblivio Musas.
Struxerunt alii Pario de marmore turres,
Sumptibus immensis ornarunt regia tecta,
Usque adeo ut facerent toti miracula mundo,
Nominis ut famam hinc aliquam sibi nempe pararent:
Sed mox tempus edax consumpsit splendida tecta,
In cineresque leves fastigia tota redegit,
Argueret curas ut vanas, ausum & inanem,
Vt nil de sumptu nisi fabula sola supersit:
Hæc *Habita* est omni longe preciosior auro,
Hæc *Habita* est duro vivacior ipsa metallo,
Hæc *Habita* est omni sumptu, laude amplior omni;
In fumos ierint quando cum tempore cuncta,
Hæc *Habita* extabit, perägetque novum usque triumphum.

Ad feros etiam deinceps victura nepotes,
Doctorum firmum munimen & ornamentum,

Ante alios vero Musas dilexit & auxit
Carolus, Imperii qui felicissimus author,
Germani fuit, & decus admirabile gentis
Saxonicæ, fidei atque optatæ gloria pacis.
Parrisiis Musas dulces clara urbe recepit,
Atque ibi constituit sedem sine fine quietam,
Regali tribuens illis sua munera forte,
Et pubi statuens sua nutrimenta benigne.

Laus Caroli Magni.

Carolus Imperio hunc post secula quinta secutus,
Felici exæquans hoc nomine nominis omen,
Instituit sumptu non parvo grande Lyceum,
Praga ubi magnificos ostentat splendida luxus:
Hinc & tantum alias inter caput extulit urbes,
Quantum lenta solent inter Viburna cupressi.

Laus Caroli IV. ex fundatione Academiæ Pragensis.

Parrisiis deducta fuit pars maxima cœtus
Aonii, hinc Artes ceperunt rite doceri,
Ipsum & Relligionis opus processit adauctum:
Doctrinæ affulsit Saxonibus atque propinquis
Lux aliis, Sophies ut limina quærere vellent,

Ortus Pragensis Academiæ.

Omnibus inde vlis concurritur, itur ad urbem,
Munera quæ cupidis longe exoptata probaret.

Pragensis Academiæ dissidium.

Floruit illa autem per ſeclum Academia totum.
Atque ultra alterius medium perveneràt, Ecce
Infelix cepit Diſcordia volvere rerum
Fundamenta, locis mutaret ut infima ſummis:
Solvuntur nexus, compages ſolvitur omnis,
Et quaſſata facit triſtem ſtructura ruinam:
Non aliter quam quæ vento domus acta labaſcit,
Solvuntur tegulæ, tectum ruit, æthere toto
Fit ſonitus, trabibus perfractis ſumma feruntur
Miſcenturque imis, cumulus jacet inſtar arenæ.

Diſcordiæ vituperium.

Quæ non damna paras crux ô Diſcordia ſemper?
Tu nexas ſolvis mentes, disjungis amantes,
Alta ruis, firmata moves, & deſtruis arcta:
Te genuit dirus Draco, te Styx protulit atra,
Horrendo Eumenides te nutrivere ſub antro.
O utinam a nobis peſtis dira exulet iſta,
O uti-

O utinam Invidia abſit iners, nec corda fatiget.

His perturbati curis & cladibus acti
Diſcentum cœtus, melior pars atque docentum,
Hærent attoniti, nec quo ſe vertere poſſint
Jam norunt: Sedes quærunt mutare priores,
Atque novas, ubicunque ferantur, condere ſedes.
Procedunt juvenes, tacitos ſub pectore mot9
Volventes, Muſasque ferunt trepidantibus ulnis:
Omnia dum metuunt dubii, tamen omnia ſperant.
Non aliter, quam quos furioſo murmure pontus,
Quando Eurusque Notusque ruunt, & prælia miſcent,
Quaſſavit, trepidosque ignota ad littora adegit.
FRIDRICUS bello præſtans, & grandibus auſis
Et vultu, & bifido mucrone timend9 aditur:
Hunc Munſterberg ante alios ſapientior omnes
Affatur placide, ſupplex his vocibus uſus:
Dive pater, cujus virtus ſpectata fidesque,
Eſto favens profugis, finemque impone laborum,
Nos turbata quies Praga diſcedere ſuaſit,
Per varios caſus actæ, pia Numina, Muſæ

Hypotypoſis Muſarum profugientium.

Laus Friderici bellicoſi, Elect. Sax. I.

 Ad

Ad vos appellunt, ſedes ubi Fata quietas
Oſtendunt: Votis indulge Nobilis Heros:
Te Duce ſi fas hic noſtra erga reſurgere regna.
Pro tantis meritis tibi pubes ſerviet omnis,
Aſpera & hinc poſitis miteſcent ſecula bellis,
Hic pietatis honor, ſi nos in tuta repones.
Talia voce refert curis ingentibus æger,
Spem vultu ſimulans, nec enim dubitare licebat.

Fridericus Muſas exulantes ſuſcipit.

Hinc Princeps dictis mœrentia pectora mulcet:
O Socii recreate animos, mœſtumque dolorem
Mittite, vos video quoniam data Fata ſecutos,
Quæ nunc Saxonicam intendunt ſibi condere gentem,
Omnia tuta dabo vobis regiusque futuris.

Lipſia deſtinatur Muſis.

Eſt locus hinc, Philyren cives cognomine dicunt,
Terra exculta, potens rivis, atq; ubere glebæ;
Perpetuo vobis hanc poſt habitare relinquo,
Auxilio tutos præſtabo, opibusque juvabo,
Quandoquidem his vultis meum conſidere terris:
Urbem quam ſtatuo veſtra eſt, ſubducite Muſas,
Quæ poſthac placida compoſitæ pace quieſcant.

Lipſia adse-

De venêre locos, ubi mox ingentia cernas
Sur-

Surgere, quæ caperent venientes, mœnia, Musas,
His populusque frequens promte, prompteque Senatus,
Vrbi adventantes læto clamore receptat,
Hisque locis primis jugat, & vestigia servat:
Phillyrides Musæ dici cepere, vocatæ
Pragenses nuper: Namque id pia Fata volebant.
Hospitium facta est Musis & Apolline dignum
Lipsia, quæ cultu non magno hoc tempore stabat,
Non erat immensis opibus, domibusque superba,
Et populus simplex erat, & pietatis amator,
Non virtutis egens studiis de vota juventus,
Undique quam multi auxiliis atque ære juvabant.
Creverunt Musæ, creverunt commoda & urbis,
Undiq; , ut hinc fieret celebri notissima fama,
Et variis opibus floreret adaucta subinde.
Ter quater urbs felix, quam Musæ Relligioque,
Justitia atque Fides junctæ incoluere sorores,
Tanti est hospitium Musis præbere benignum,
Illustrant Musæ, fortunant omnia Musæ,
Et sine nil Musis est felix, Utile nil est.

Venientes Musas excipit cum desiderio & lætitia.

Lipsia descripta.

Lipsia Musarum beneficio felix.

Quisquis es ergò, cave doctas affligere Musas,
Musarum veluti cultores larga sequuntur,
Præmia, quæ vitam possunt sine fine beare:
Musarum osores sic tristia cuncta sequuntur,
Et rapit immites mors tandem inhonesta Tyrannos.
Sunt Musæ natæ Jovis, ergo curat easdem,
Jupiter, atque harum contemtum vindicat omnem:
Tota est sacra cohors Academia, quam DEUS ultro
Defendet, servabit & incrementa parabit.

Laus Fundatoris æterna.

FRIDRICUM quando repetito carmine dico,
Qui fuit in bellis præclarum nomen adeptus,
Fridrici ad nomen venerandæ assurgite Musæ;
Ille etenim primus vobis hæc otia fecit,
Impellente DEI, quis enim neget ista? favore,
Et vestris Fatis contraria Fata rependens,
Grandibus exhaustas jam casibus, omnium egenas,
Urbe, domo, atque opibus plene firmavit & auxit,
Atque adeo Regni socias in parte locavit,
Nutrimenta dedit studiosæ plurima pubi,
Et posuit præclara sui monumenta favoris,
Quæ non sunt seclis unquam moritura futuris.

Ut

Ut Fundatoris quam multo maxima
laus est:
Sic sua laus etiam est conservatoribus ipsis,
Invenisse parum est, nisi conservata tenemus:
Gratia par igitur rectè debetur utrisque.
Sed qua quisquē Scholam hanc parte auxerit, atque favorem
Firmarit, molem unde opus hoc excrevit in istam,
Dic e non facile est; numerus comprendere verbis
Hæc benefacta vetat, tantarum & pondera rerum,
Nec sinit id brevitas præsentis temporis hujus,
Nec vox sufficiat, si ferrea personet ora.
FRIDRICOS quoties *Armatos, & sapientes*,
Et *Placidos: Ernestos*,& si quando *Joannem*,
Janum Fridricum, qui claret vulnere malæ,
Mauritium, Augustum, Christianum, lumine cerno,
Quorum quisque sua Musas pietate beavit,
Egregie exornans donis Accademia regna;
Tunc videor toties *Josias, & Josaphatos*,
Ezechiasque, pios Reges justosque videre,
Quorum decantata est laus, & gloria vivax.
Salvete ô animæ illustres, astra addita cœlo,
Immortalis honor vester,laus vestra sonabit,
Perpetuo gratis linguis iteranda tenore.

Laus Conservatorum non minor.

Nomina Principum Elect. Saxon. sub quorum patrocinio Academia conservata floruit.

Sed qua te extollam *Christianum* voce Secundum,
Saxonici Imperii Dux, ô mitissima cura?
Christiani II. laus peculiaris.
Te duce succrescens Ecclesia libera floret,
Nil metuens hydros turpes, nil atque Chelydros:
Te duce tam miti nostra hæc Academia gaudet,
Præclaris nuper meritis & honoribus aucta.
Ore alio indictum dicam hîc, attendite, cuncti,
Qui rebus nostris satis æqua mente favetis:
Ore quod indictum est alio, hîc, attendite dicam,
Spectantes Musas transversa tuentibus hirquis,
Qui male collatum omne, & qui periisse putatis,
Quod cessit Musis, quas sors damnosa fatigat:
Florenos decies millenos *Christius* heros
Condixit Musis nostris: assurgite Musæ
Patrono vestro, meritas & dicite grates,
Vocibus & resonate Ejus per secula laudem.
Vosque Professores, lectissima turba virorum,
Quorum hinc aucta magis venient stipendia, vestrum
Noscite Patronum tam mitem tamque benignum.

Non

Non perit, in Musas quod confert optimus Heros,
Nec dubia esse potest Clementia Principis hujus,
Qua fruimur læti, viridis sub tegmine *Rutæ.*
Panditur hinc vivo cœlum: Non cernis, ut astra
Contrahat Orion, zonamque in fine remittat?
Hoc iter ad cœlum, his in cœlum passibus itur.

Nomina quid referam, quorum instaurata labore. *Rectoris 1. & ultimi nomen.*
Omnis doctrina est, variis distincta figuris?
Vel qui gestarunt auro radiantia sceptra,
Insignes mitra rubea, & splendore decori.
Felici auspicio primos RECTORIS honores
Munsterberg velut inceptavit, & ordine gessit:
Non minus auspicio felici Academica sceptra
In te *Meurero* nunc ultima puncta recumbunt:
Atque utinam ô nullo sint ultima tempore puncta. *1. Rector adbena; modernus civis: Et quid ea res habeat ominis.*
Hinc si quis certo momento ponderet omen,
Quod res ipsa satis manifesto lumine præbet,
Inveniet, quæ sit fortuna futura Lycei.

Adve-

Sed qua te extollam *Christianum* voce Secundum,

Christiani II. laus peculiaris.

Saxonici Imperii Dux, ô mitissima cura?
Te duce succrescens Ecclesia libera floret,
Nil metuens hydros turpes, nil atque Chelydros:
Te duce tam miti nostra hæc Academia gaudet,
Præclaris nuper meritis & honoribus aucta.
Ore alio indictum dicam hîc, attendite, cuncti,
Qui rebus nostris satis æqua mente favetis:
Ore quod indictum est alio, hic, attendite dicam,
Spectantes Musas transversa tuentibus hirquis,
Qui male collatum omne, & qui periisse putatis,
Quod cessit Musis, quas sors damnosa fatigat:
Florenos decies millenos *Christius* heros
Condixit Musis nostris: assurgite Musæ
Patrono vestro, meritas & dicite grates,
Vocibus & resonate Ejus per secula laudem.
Vosque Professores, lectissima turba virorum,
Quorum hinc aucta magis venient stipendia, vestrum
Noscite Patronum tam mitem tamque benignum.

Non

Non perit, in Musas quod confert optimus Heros,
Nec dubia esse potest Clementia Principis hujus,
Qua fruimur læti, viridis sub tegmine *Rutæ.*
Panditur hinc vivo cœlum: Non cernis, ut astra
Contrahat Orion, zonamque in fine remittat?
Hoc iter ad cœlum, his in cœlum passibus itur.
Nomina quid referam, quorum instaurata labore. *Rectoris 1. & ultimi nomen.*
Omnis doctrina est, variis distincta figuris?
Vel qui gestarunt auro radiantia sceptra,
Insignes mitra rubea, & splendore decori.
Felici auspicio primos RECTORIS honores
Munsterberg velut inceptavit, & ordine gessit:
Non minus auspicio felici Academica sceptra
In te *Meurero* nunc ultima puncta recumbunt:
Atque utinam ô nullo sint ultima tempore puncta. *1. Rector advena; modernus civis: Et quid ea res habeat ominis.*
Hinc si quis certo momento ponderet omen,
Quod res ipsa satis manifesto lumine præbet,
Inveniet, quæ sit fortuna futura Lycei.

Adve-

Advena constituit primum hæc Academica regna,
Quæ nunc (omen habes) *Lipsensi a cive*, tenentur.
Auguror hinc: Doctis in tempora postera Musis
Lipsia culta nimis non est caritura, sed illas
Molliter in gremio, ceu mater prona, fovebit
Perpetuo, officiis gratisque augebit, honorem
Convenienter habens Musis, harumque ministris,
Non has affliget male culpæ conscia, vulgo
Nec sinet affligi: Sed contra incommoda cuncta,
Contra vim cunctam defendet fortiter illas,
Læta patrocinio, atque suorum mole bonorum.

Academia commodat urbi.

Commoda non dicam, toti notissima mundo
Namque ea sunt, Urbi quæ præstant commoda Musæ,
Urbem felicem, quam perluit, esse putamus,
Rivulus à sacro Musarum fonte profectus;
Lipsia tu vero longe felicior extas,
Fluminibus largis Musarum urbs semper abundans.
Felix sorte tua es, Musarum munere læta,
Multiplici decorant quæ te bonitate, beantque,

Lipsia,

Lipsia, propterea Paradisus diceris esse,
Mundanus recte: Cœlum quoque diceris esse,
Quo veniat Sapientia *Lux, Sapientia, mundi est,*
Quis vero Splendor terreno affulserit orbi
Ex cœlo hoc nostro, clare lucentibus astris,
Non referam; lucem foret hoc ostendere Solis,
Astrorumque foret cœlique exponere morem.
Religionis opus peperit *Witteberga*, sed auxit
Et conservavit constanter *Lipsia*, nullis
Dissidiis agitata, errorum nescia, & insons:
Artes excoluit magis hæc: Clarissima juris
Lumina produxit: Venit hinc jus omne petitum
Qui colit extremas diffusi littoris oras.
Quod regio hæc florens optata pace quiescit,
Atque bonis variis, quæ tellus undiq; fundit
Omnipotente sinu: quod mollia corda virorum
Imperio parent patrio, virtutis amorem
Quod præstant, & quod civilia munera præstant,
Et quod stant urbes sociatæ fœdere firmo,
Et quodcunque bonum stat nos & mœnia circum:
Nimirum studiis tribuantur ea omnia nostris.

Academia commodat Orbi Christiano.

Commodor: enumeratio.
1. Religionis firmitas.

2. Pacis diuturnitas.
3. Terræ fœcunditas
4. Civium humanitas,
Commodorum, συναθροισμός.

Quis

Quis sine nil rectum est, & nil nisi dira libido,
Quis sine nil proprium cuique est, nil criminis expers,
Quis sine nil firmum, sine quis & turpe & honestum,
Et rectum & curvum parvo discrimine distant.

Collatio temporum superior: cum præsenti felicitate.

O quanto seclum nostrum felicius illo est?
Quo Bellona nocens in nostris sæviit oris.
O quanto seclum nostrum felicius illo est?
Quo doctrina fuit densis immersa tenebris.
O quanto seclum nostrum felicius illo est?
Quo tenuit vinctas Romana potentia mentes,
Errorum tenebris involvens lumina cæcis,
Pro *Verbo*, CHRISTUS quod protulit æthere summo,
Impuras leges, Decretaque turpia fingens,
Et statuens venalem auro argentoq; Salutem.

Objurgatio Papæ, quod Christo adversari non desinat.

Heu mala pernicies animarum, heu dira venena:
Quæ te Sancte pater, quæ te dementia cepit?
Ut flammis atq; ense furens tam sæva tenere
Regna audace manu, *Christo* contrari9, ausis.
En tibi bella movet lactentum vocibus usus
Salvator, nexus dissolvit acumine verbi,
Quos tua vis, & quos tua fraus connexuit a-tros:
Nec tamen absistis, quamvis sis fœdior omni
Jam factus cœno, meretrice & turpior omni.

CHRI-

CHRISTE tui meriti laus est mansura perennis,
Quo solo nixa & confisa Ecclesia salva est:
NempePapæ meritis cunctis,meritisque suorum
Jam sordet tellus,sordet mare, sordet & aer.
Romanas fraudes felix Germania sensit,
Te Duce *Christe* bono,pie te *Luthere* ministro,
Hinc Romana fuit vis fraus patefacta per orbem:
Nuper & excussit Venetorum urbs te,pater, Eheu,
Cum gemitu,hinc quassata tua exulat undique fama:
Nec tantum radiat gemmis distincta corona,
Quantum insons Christi spina illustrata refulget,

CHRISTI gloria illustrata.

Insuper hoc anno felix *Bojemia* tota
Libera de diro nexu Babylonidis exit,
Atque venenoso fuerat quæ perdita luxu,
Haurit divinum nunc pleno gutture nectar,
Atque Papæ imperium & fraudes damnatque fugitque
Nobiscum hoc anno felix Bojemia gaude,
Quæ bis centenos post annos libera tandem
Suscipis & lucem Verbi, Musasque receptas
Sedibus antiquis, cœlesti elata favore,
Rudolpho Imperii fasces gestante Secundo,
Rudolpho terris lucem accendente Secundo,
Rudolpho pacem terris servante Secundo.

Hujus temporis felicitas amplificat: libertate toti Bojemiæ, concessa: & Academiæ Pragensis collapsa restauratione.

Quæ-

Nomina Professor. Acad. Lipſ. & Lect. publicarum deſignatio

Quæris, quis ſtudiis noſtra hæc Academia floret,
Et qui depoſitum Verbi, ſacra munera, ſervant,
Quique docent Artes, atque illuſtrare laborant,
Quottidie quorum vox increbeſcit ad aures?
En prodit, ſpectare licet, pia turba docentum,
Quilibet atque ſui oſtentat monumenta laboris:

Theologia.

Harbartus, Pater ille, *Locos* cura explicat omni.
Weinrichius divi colluſtrat dogmata *Pauli*.
Smugkius oſtendit Sanctorum oracula *Vatum*.
Mülmannus Legis præcepta iterata reponit.
Suallenberg vocis primævæ Symbola format.

Juris prudentia.

Wirthius emeritus *Proceſſum* juris adaptat.
Romanus tradit *Decreta* Papalia dextre.
Heidenrich Legum prima incunabula monſtrat.
Majerus loquitur quæ ſit bona *Regula* Juris.
Wirthius aſt alter leges de *Codice* promit.

Medicina.

Gitlerus magni tradit monumenta *Galeni*.
At *Bruno Hippocratis* de Cura ſcripta recenſet.
Tanckius exceſſit vita, cui *Sectio* curæ.
Feigius exponit, quæ ſit pars Corporis, & vis.
Keglerus medicis herbas demonſtrat in hortis.

Meu-

Meurerus terras, cœli metitur & astra. *Philosophia.*
Neldelius mores, Logica instrumentaque format.
Fridricus Linguas atq; historiā ipse recenset.
Corvinus benè Naturæ mysteria pandit.
Curtius orantum Sermones ritè figurat.
Bavarus ille Lyram Venusinā pollice pulsat.
Beccerus pubi præcepta Logistica tradit.
Horum fervet opus studio, ingentique labore.
Hi Artes & linguas, & sacri dogmata VERBI
Ad seros cupiunt etiam proferre nepotes.
Felices animas, quibus has cognoscere cura est, *Cohortatio ad studiosos.*
Quæ variis mentes exornant dotibus, Artes:
Non his anteferas, quæ plebs miratur amatq;
Jugera vel campi, vel congesti æris acervos:
Quamvis ille bibat gemmā, vel dormiat ostro,
Tuque bibas fontem, recubans sub tegmine fagi:
Mox tamen in molli cultu ridebis egentem,
Et Divis propior dulces captabis amores;
Sit satis hoc nobis, Mundus perit, omnia Mundi
Ornamenta abeunt: *Semper Sapientia durat,*
Æternos fundens, ceu largo, flumine fructus.
Qui regis imperio certo cœlum, mare, terràs, *Oratio ad Deum, pro conservat: VERBI cœlestis.*
Et qui divino conservas Numine cuncta,
Omnipotens Pater, & Fili, & qui Spiritus audis,

Par Deitas, par & bonitas, par atq; potestas,
Sit tibi pro tantis concessis gratia donis,
Gratia, quam mentes complecti, aut lingua referre
Nulla humana potest, deberi æterna fatemur
Divinæ, non angelicæ, præconia vocis.
Quandoquidem at nostri immenso perculsus amore
Non renuis, quæcunque damus, pia vota precesque,
Numinis ante thronum, Majestatemque verendam,
Suppliciter palmas ad Sydera tollimus ambas,
Orantes: Sincera deinceps dogmata *Verbi*
Conserva nobis, conserva posteritati,
Daque fidem, & placidos composto in pectore motus,
Te solum ut sperent, & ament, tollantque, canantque,
Atq; hinc inter nos dilectio mutua crescat,
Et pavidas firmet Constans *Concordia* mentes,
Et tandem ad cœli nos transfer regna beata.
Interea Verbo contraria dogmata sacro
Omnia disturba: Vitæ infelicis amorem
Tolle à pectoribus, fac gens tibi serviat uni
Non fera, sed sperans in sancto Nomine semper.

2. Artium bonarum. *Artes* conserva, quis in tua fama reposta est
Plurima: deficiant nunquam, nec & imperitare

Ver-

Verbo permittas, sed servitia undiq; præstent,
Vt decet, & Verbo fidei nostra omnia subsint.
Hanc Academiam serva, quæ bis tamen annos
Centenos numerat devoto pectore læta, 3. *Academia totius, ut & Urbis.*
Et virtute tua stetit, & tot floruit annos,
Nec tamen atroces casus, nec passa ruinâ est.
Hospitium hoc Musis sacratum floreat, atque
Auctum venturos opibus servetur in annos,
Et semper maneat Musis addicta juventus;
Fœcundæ matres, sint patres undique læti,
Usque adeo, nulla ut regionem incommoda
tangant,
Sive etiam affligant rodentes pectora curæ.
Si vero *Verbum*: (sed ne vertamur ad omen)
Musas tolle simul, sine Verbo hostilia Musæ
Spicla gerunt, totam hanc urbem ab radicibus imis
Erue, sit regio nullis habitata colonis.
At bonitate tua concede fruamur ut usque,
Dum patribus cœlo nos jungas atq; nepotes,
Hinc tibi laus & honos, & gloria summa manebunt.
Da *Pacem* terris, terris optabilis est pax, 4. *Pacis & tranquillitatis publicæ.*
Grata quies Verbo nos nutriat, Artibꝰ atque,
Ut tua noscamus læti prægnantia dona,
Quæ miseris nobis ceu pleno gurgite fundis.
Effice bella sinant, lætos pinguescere campos
Effice, uec madeant effuso Sanguine campi,
Exedat arma ærugo vorax, pascatur & illis,
Et galeæ in curvas falces vertantur & enses,
Et fera corda virum cupiant dediscere bella.
Turca ferox cædes minitans, & naribus ignes

Crudeles volvens deinceps mitescere discat,
Atque insueta sua ad virtutem pectora flectat.
Et Pater ense potens Romanus, fulmine tetro
Olim terribilis, nostro ridendus at ævo,
Funes atq; rotas tandem suspendat, & ignes,
Desinat hinc Christo contrarius esse potenti:
Bestia sæva, minax, meretricia, perfida, fallax,
Pernicie sit læta sua, sit & inde quieta
Rasa cohors: Et Calva cohors nil audeat ultra:
Hinc nobis tandem veniant felicia regna,
Quæ merito grandi Salvator *Christe* parasti,
Qui fidei certæ documenta insignia præstant.
Te Pater omnipotens oramus cordibus imis,
5. *Rudolphi Cæsaris.* *Rudolphum* Imperii caput, & clarissima membra,
Totum adeo corpus divino Numine serva,
Ne sanctum hoc lædat fraus, sive ferocia, corpus:
Floreat Imperium, nulla vi, aut fraude labascat,
Donec præcipiti lapsum de vertice Saxum
Comminuat totum, atque hinc compleat omnia Christus.
Interea, donec vescemur munere terræ,
6. *Christiani II. Electoris, & totius domus Saxonicæ.* Magne tuere DEUS, quem fecisti ense verendum
Christianum his terris, qui præbet sospita Musis
Tecta, piis Musis gratissima tecta, favore
Eximio amplexus discentes atque docentes,

Qua-

Qualiter Illius fecerunt nempe Priores,
Quorum cantata eſt modice hoc in carmine fama,
Et magis aucta novo ſemper floreſcet honore:
Imperium Illius firma, vitamqne tuere
Longinquam: chara vivat cum Conjuge lætus,
Nunquam deponat Muſarum pectore amorem,
Nunquam deponet, dum Verbum fidus amabit.
Salve *Johannes*, Rutæ frons læta, *Georgi*,
Saxoniæ Princeps, decus immortale tuorum;
Tu Muſarum audis Patronus maximus, atque
Sinceri Verbi nunquam ſimulatus amator.
Te *Mersburgenſis* Tutorem *Eccleſia* cepit,
Conſervatorem & te noſtra Academia jactat.
Grande opus eſt Muſas, pia Numina, velle tueri,
Et firmare animos, & præmia ponere doctis:
Vive diu felix in tempora poſtera Muſis.
Et tu magnorum præclarus Sanguis Avorum
Auguſte, ut tantum es felicis Nominis hæres:
Sic & virtutis: Salve ô clariſſime Princeps;
Vt Muſæ primis te dilexere ſub annis:
Sic illas etiam digno veneraris honore,
Quîs grandē nuper, Dux inclyte, conciliaſti
Et formam, & famam, & decus indelebile,
RECTOR
VVittembergenſis, fama, ô æterna, Lycei.

Et *Mater* vivat vobiscum, provida mater
Quam pietas, virtus clementia larga celebrat:
Et *Soror*, & *Conjux* vivat, valeatq; per ævum:
Tota domus Rutæ contermina floreat usque.
Summaria & Emphatica precatio. Felix sit regio, felices sitis & ipsi,
Vrbs hæc sit felix, sit & hæc Academia felix,
Sit templum felix, Plebs felix, Curia felix,
Et quos Recti amor, & studium quos tangit honesti.
Conclusio προσφωνητική. Sic quæ hodie Seclum binum sollenne celebras,
In reliquum tempus florens Academia cresce,
Vnde DEO exoriatur honos sine fine.

Sequentibus Versibus agebantur gratiæ hospitibus tum convenis, tum indigenis, pro præsentia honorifica: Et simul ad institutum Epulum hilariter perfruendum invitabantur.

Magnificis titulis decorati, & honoribus aucti,
Præstantes pietate Viri, & virtute celebres,
Principis excelsi Legati, Principis ora,
Et Comes Illustris, Mansfeldi Nobilis Heros,
Et quos huc misit proceres Mersburga potestas,
Wittenbergensis vos lumina clara Lycei,
Et quos commendat venerandi cura Senatꝰ,
Et quicunque alii externis venistis ab oris,
Et

Et quoscunq; fovent gratis hæc mœnia tectis,
Ducite nobiscum hæc Seclaria gaudia, nostrum
Quæ vidit nemo, quæ nemo deinde videbit,
Vocibus atq; DEO conjunctis dicite laudem,
Mox hinc digressi, nobiscum tecta subite,
Fercula sumturi, quamvis non fercula lauta;
Qualia sed Schola fert, non qualia Principis aula;
Vivamus hilares, atque inter pocula læti,
Munera tanta DEI nostri celebremus ovantes,
Angelicis quando jungemur cœtibus, Illic
Gaudia volvemus non interitura beati,
Ambrosia pasti, divino Nectare poti:
Interea, Proceres, sit debita gratia vobis
Pro officio, memori quod semper mente feremus,
Venturo pietas hæc fiet cognita seclo,
Plenius atque sequens posthac lætabitur ætas:
Et veluti Nobis faustissima quæque vovetis:
Sic itidem Vobis faustissima quæque precamur:
Da pacem, da gaudia, da, bone CHRISTE, Salutem.

(Sequuntur integra Nomina Professorum qui hoc temporis articulo in Academia Lipsiensi publicè docent, quatuor Facultatibus distincti.)

I.

D. Buchardus Harbarth Conicensis, P.
D. Georgius VVeinrich Hirsbergensis, P.
D. Vincentius Smugk Smalcaldensis, B.
M. Johannes Mulmannus Pegaviensis, M.
M. Henricus Sualcnberg Stetinensis, S.

II.

D. Michaël VVirth Leobergensis, P.
D. Franciscus Romanus Conariensis, S.
D. Elias Heidenreich Lipsiensis, M.
D. VVolffgang Mayer Lipsiensis, M.
D. Michaël VVirth Leobergensis, P.


III.

D. Balthasar Gitlerus Leobergensis, P.
D. Christophorus Bruno Dobelensis, M.
D. Joachimus Tanckius Perlebergensis, S.
D. Georgius Feigius, Laubanus, P.
D. Johannes Keglerus VVurcensis, M.

IV.

D. Christophorus Meurerus Lipsiensis, M.
M. Johannes Neldelius Glogoviensis, P.
M. Johannes Fridericus VVolffshusius, B.
L. VVolffgangus Corvinus VVestenfeldensis, B.
D. Johannes Curtius Bischfrodensis, S.
M. Cunradus Bavarus Hallensis, S.
M. Bruno Beccerus Oscherslebiensis, S.

❧ (o) ❧



LAUS LIPSIÆ,

Consulari ac Senatorio Ordini ejus civitatis amplissimo.



Dicata à

M. CVNRADO BAVARO,
Poët. Professore.

DEscende cœlo Calliope, & refer
Laudes decenti carmine Lipsicas:
Æquare quamvis nulla posse
Carmina rem videantur omnem.

Non, vrbs, ſuperbis culmine turrium,
Non intumeſcis mœnibus arduis:
Sed civium virtute firma
Nullius es metuens pericli.
Cernuntur ædes conſpicuæ attamen
Multa arte, grato marmore purius:
Stant templa formis quam venuſtis,
Curia ſuſpicienda mole eſt.
In fronte prima quid queat, aut velit,
Vrbs pollicetur: Porta ubi viſitur,
Suſpenſa Parma eſt, Parma namque In-
ſignia clara refert notata.
Tres ſtant columnæ ponderibus ſuis,
Æquis locatæ limitibus ſimul:
Aſſiſtit erectus Leo illis,
Brachia tenſa gerens ad oram.
Impoſta Parmæ eſt Gallea nobilis,
Ornata Criſtis conſpicuis tribus;
Non unius cum ſint coloris,
Eſt eadem tamen his figura.
Signant columnæ tres opulentiam,
Quæ civium ornat, ſuſtinet & ſtatum:
Trabs terna ſed conjuncta ſignat
Pectora juncta fide atque amore.
Fortis Leo hinc convertitur ad latus;
Clara eſt imago Juſtitiæ Leo:
Juſti Magiſtratus patronus
Eſt, ſcelerumque ſeverus ultor:
Divum timorem Gallea connotat;
Quæ perſpicit, monſtrat Sapientiam;
Veram, Deum extra namque multum
Quæ ſapit, haud ſapit illa quicquam.

Sunt

Sunt ſigna Criſtæ lætitiæ bonæ?
Chriſtis ſuperbit non male civitas,
    In qua beata floret uſque
        Relligio, atque Forum, Domusque.
Hos nempe ſignat Criſta triplex ſtatus,
Æquis ita eſt diſtincta coloribus:
    O civitatem perbeatam,
        Quæ capit hæc bona ſuſtinetque!
Fucata non eſt Cera coloribus,
Quæ preſſa Signa oſtendit: ita arguit
    Nativa res fucum omnis omnem,
        Luteus eſt color ergò laudi,
Quid puritatem Relligionis hic
Dicam? Illa terris perſonat undique:
    Quid JURA, quid ſanctum Senatum?
        Quid populi faciem fidemque?
CONSISTit ORdo hic Ingenuus patrVM,
Cauſſas revolvunt qui graviter pias,
    Nodoſque diſcindunt plicatos
        Judicio bene pleniori.
Hic dicitur Jvs, dicitur omne Jus;
Nam *Prætor* eſt, majorque *Senatus* eſt.
    Aſſiſtit his *Aræopagus*,
        Eminet *Aulica Curia* ultra.
Eſt civium non parva beatitas
Ex plurimo libramine mercium:
    Res florida eſt cujuſque cura,
        Et capit augmina charitate.
Hic audit Auris, Lumina quod vident:
Recte Senatus commoda publica
    Tractat, Fides at Subditorum
        Et reverentia digna claret.

Si-

Signum datur; Cives ſubito arduis
Fulgent in armis, fulgura detonant,
Ire obviam prompti periclis,
Pro Patriæ intrepide ſalute.
Hæc Civitas eſt annulus aureus,
Cui Gemma rara eſt addita lucida:
Quæ Gemma ſit, forſan requiris?
Eſt Academia tam celebris.
Monſtrat Deum, ceu pollice, plenius,
Et ſacra dictat cuncta Academia:
Hic naſcitur Jus omne Vitæ hinc
Spes oritur diuturnioris.
Hæc Artium eſt fons, mater & inclyta,
Quarum uſus eſt & ſummus & optimus:
Hæc erudit mentes, docetque
Plurima, quæ numerare non eſt.
Felicitatis cauſa Academia
Felicitatem Vrbi tribuit ſuam:
Eſt gratus hoſpes, dona tanta
Hoſpitii cupide rependens.
Felicitatis participes ſuæ
Hæc Civitas multas alias facit:
Exempla Virtutum hinc petuntur,
Subſidioque viri petuntur.
Eccleſiis & Judiciis bonis,
Quos Ipſa large ſufficit, ac Scholis:
Eſt norma vivendi & docendi
Vrbibus Vrbs reliquis aperta.
Campo patenti conſita Lipsia
Afflatur aura lenius: hinc venit
Et mitior vultus, capacis
Ingenii & vigor inquilinis.

Eſt

Eſt ſermo Civi purus & elegans,
Moreſque cunctorum placidi ſatis,
Et libera eſt & docta proles,
Matribus & patribus decora.
Ingens decus Matrum eminet amplius,
Sunt Fœminarum brachia lactea,
Et blanda Virgo & mollicella,
Quæ ſilicem poterat movere.
Frugum hic bonarum copia naſcitur
Larga: at ſolum quod denegat, advehit
Externus hoſpes: vina Creta,
Et piper India nigra mittit.
Merces Iberus quas habet, hæc habet,
Quas Roma veſtes texuit, hæc tenet:
Congeſta cuncta uſui reponit,
Cunctaque dividit Ipſa paſſim.
Eſt Conda rerum Promaque Lipsia,
Quas terra largo ſuppeditat ſinu:
Nil huic deeſt, nil huic negatum,
Quin poterit *Paradiſus* eſſe.
Vox criminantum eſt: Lipsia *ſtrata habet*
(Dotata quamvis ſit nimis) *ignea:*
Verum illud eſt; humorem ita omnem
Tollit humo lapis hauriendo.
Nec plena cœno compita ſordido,
Hinc ut labet pes lubricus in viis:
Veſtitus eſt mundus, cibusque,
Si via (ut omnia munda) munda eſt.
Si dicis æris non ſatiabilem,
Et lucri avaram, falleris: heus cupis
Mutare Mullis Gobiones?
Conveniens pretium repende.


Rebus

Rebus ſtatutum eſt hic pretium decens
Juſtumque: dictus ſumtibus eſt modus:
Et præmium RECTI eſt ſtatutum,
Et Nemeſis metuenda culpæ.
Vrbs clara, vitæ lux, pietatis &
Virtutis altrix, Juſtitiæ parens,
Grata Artium ſedes bonarum,
Munere multiplici beata,
Felicitatem agnoſce lubens tuam,
CHRISTOQUE laudes concine debitas:
Sic te piam ſervabit, ipſe
Auctor erit tuus, atque Tutor.



EMI-



ΕΠΙΦΩΝΗΜΑ

Ipsa Feria Adventus Secunda,

Qua secundum Annum Jubilæum celebravit

ACADEMIA.

longè omnium celeberr:


Quæ Lipsiæ Libonotrorum est.

FEsta Dies rediit, qua Mundi RECTOR & AUCTOR
Transtulit Huc PRAGA clara LYCEA Die.
Clara LYCEA Die hæc bis centum immota fuerunt
Annos; insidiis sint agitata licet.
Sint agitata licet: Tamen Hinc vere celebres
E Trojano ut Equo, NUMINE dante, Viri.
NUMINE dante Viri; qui in lucem Scripta dederunt,
Relligione *proba, & qualibet* Arte *bona,*
Jure igitur merito Nunc MUSÆ in gaudia solvant
Corda, DEO grates EXTERUS atque ferat.
Omnia sint plausus, sint cantus omnia plena:
Namque Diem festam jubila læta *decent.*
Acclament Cuncti; Hic Hic durent illa LYCEA,
Florescant posthac Relligionis *opes.*
Acclament Cuncti; Hic Hic durent illa LYCEA;
Ubere florescat Juridicina *satu.*
Acclament Cuncti; Hic Hic durent illa LYCEA,
Divite florescat dulcis Hygea *sinu.*

Accla-

Acclament Cuncti; *Hic Hic durent illa LYCEA,*
Florescant posthac Artium *amœna* Cohors.
Acclament Cuncti; *Hic Hic durent illa LYCEA,*
Florescant posthac nobilis Ordo Virûm.
Acclament Cuncti, *Hic Pax inter* utrumque Senatum,
Florescat posthac, duret adusque rogum.
Acclament Cuncti; Hic Pax & Concordia *Civem*
Florescant posthac inter utrumque bonum
Hoc Ego, dum laudes ACADEMIA *prædicat alma*
Alterius Secli, pectore ovante precor.

Marcus Rorscheidt / J.U.D.
Elect. Sax. Commiss. ordinarius,
& supr. Dicasterii Provincial.
Advocatus.



Sena-

Senarii

NUMERALES

X.

Ad annum Chrifti

M DC. IX.

pro memoria

JUBILÆI LIPSICI.



BoheMIæ DatVr reLIgIo
LIbera.
LIs Magna De regIone ſVr-
gIt gyLIa.
grataM Deo ſe JVbILans fert
LIpsIA.
aCaDeMIæ ſartæ & VIgen-
tIs gratIa,
annos DVCentos InDe InI-
tIa poſt Data.
VIgore In Iſto perſtet ergo
aCaDeMIa.
sIt ſoſpes Vrbs aCaDeMIÆ
pla hoſpIta.

reLLIgIo ſana DetVr In bo-
heMIa
DIreMta LIs & ſopIatVr gy-
LIa.
fas eſt ea Inter IaM preCarI
gaVDIa.

V. Schmuck D.

per valetudinem domi detentus, ne ἀσύμβολος eſſet, meditabatur.

Ἐπίσαγμα

De Operis IV. Nationum
hoc Jubilæo.

RECTor caput de Natione
eſt Misnica.

QuatuorDecanos nunc habet
POLOnICa,

Orator ecce ſurgit è FRAN-
CONIA.

Actum poëta SAXO tan-
dem terminat.

Gedächtniß
des Leipzischen
Jubel-Jahrs
Nach Christi Geburt
M DC. IX.
Mit kurtzen angehengten Wunsch
und Gebet.

DAß Jahr in der Römi-
schen Kron/
Wird freygestellt der
Religon/
Umbs Gülicher Land erhebt sich
Streit/
Mit gefährlicher Uneinigkeit.

Zu

Zu Leipzig die Universität/
Ihr Jubel-Fest mit Danck
begeht/
Nachdem Sie ietzt durch Gottes
Gnad/
Zweyhundert Jahr gestanden
hat.
Nun ist zu bitten/ daß sie fort
an/
Noch lang Zeit glůcklich mög
bestahn/
Auch daß wohlgeh der löblichen
Stadt/
Darinn sie ihr gut Bleibens
hat.
In Böhmen GOtt sein reines
Wort

Ohn

Ohn Irrthum geb an allen Ort:
Auch daß der Streit im Gůlicher Land/
Mit guten Vertrag werd abgewandt.
Des wůnscht billig ein iedermann/
Der sich nim̄t gemeiner Wohlfahrt an.



CAROLI V.
IMPERATORIS ROMANI
CONFIRMATIO
PRIVILEGIORUM
ACADEMIÆ LIPSIENSIS.

DEI GRATIA CAROLI V. IMPERATORIS ROMANI CONFIRMATIO PRIVILEGIORUM ACADEMIÆ LIPSIENSIS.

CUm *Imperialem Majestatem ac Clementiam pro eo, in quo est sublimi loco posita*, subditorum omnium, tum illorum cumprimis, qui, quod Majores nostri recte ac pie scriptum reliquerunt, honesta omnis generis studia, cum maximo vitæ periculo, suorumque bonorum jactura sectantur, & citra quorum operas Respubl. cui nos Deus Opt. Max. pro sua benignitate præfecit, nec recte administrari, nec recte cohærere, imo nec stare diu potest, apprime deceat magnam habere rationem, nec satis sit illis aures præbuisse benignas, verum etiam, quo fieri potest modo ac pacto, illos juvare & favore singulari prosequi oporteat, & Universitatis Lipsiensis nomine *Rector, Decani, Doctores & Magistri* etiam atque etiam vehementer *Majestatem nostram* rogârint, & obtestati sint, ut dictam Universitatem ab inclytis SAXONIÆ Ducibus primum exstructam, deinde & beneficiis magnis affectam, temporum tamen injuria & bellorum hujus anni calamitate, nonnihil concussam; Sed nunc inclyti *Mauritii, Saxoniæ Ducis, Imperii nostri Electoris* liberalitate, ope & consilio rursum in pedes erigendam, restaurandamque, & præterea omnes tum homines, tum res ad eam pertinentes, adhæc & jura ipsi debita & congruentia in nostram tutelam, defensionem ac protectionem clementer susciperemus: Non indignum

Ma-

Majestate nostra esse duximus, ut, quod illi nos rogárunt, non solum id impetrent, *bona nostra voluntate & gratia:* verum etiam, ut ipsi ultro talia beneficia in publicas scholas, & hanc præcipue, quæ multis hactenus nominibus nobis fuit commendata, conferamus. Præsentibus itaque nostris iis, volumus notum esse omnibus & singulis, quod nos ex causis supra allegatis jam ante nominatam Universitatem, cum omnibus suis personis, ædificiis, bonis, privilegiis, rebusque universis & singulis ad eam quocunque modo pertinentibus sub *nostram sacrique Romani Imperii singularem protectionem defensionemque suscepimus, & vigore harum literarum in præsentia certa ex scientia ac nostræ Imperialis potestatis plenitudine suscipimus.* Et volumus, jubemusque, ut *Universitas sæpe dicta non tantum a nemine concutiatur, vexeturque, sed &, ut in pristino, & hactenus habito statu conservetur, & privilegiis antehac illi concessis in summa quiete, quam studia requirunt, utatur.* Porro ut *& nostrum illa erga se paternum amorem, & optimam affectionem* (quam erga ejusmodi doctorum hominum habere collegia nos decere, & cum primis præclarum esse putamus) *experiatur;* Volumus *omnia privilegia, jura, bona, libertates, immunitates, indulta concessiones, gratias, exemptiones, protectiones a Pontificibus, & Imperatoribus Romanis, nostris prædecessoribus, Ducum item Saxoniæ, Auctorum & fundatorum ejus scholæ, liberalitate, oblatione ac donatione illi oblata, concessaque;* Præterea *omnia alia bona, consuetudines, conventiones, & pacta inter Universitatem, vel ipsius personas & membra vel res pertinentia & respicientia quocunque modo* (quorum omnia, cognomina, tenorem, perinde ac si præsentibus his ad verbum

essent

essent inserta ac scripta, pro insertis ac scriptis, ac di- serte dictis habemus, & haberi ab omnibus volumus) *rata, grata, ratas gratas, & omnia sancta, firma & illibata;* hocque etiam *tum, si monumenta, nostra litera, & instrumenta incendio vel quovis alio casu deperierint, tantum illarum rerum omnium usus habitus, ac continuatus appareat, esse & manere volumus.* Ultro, &, quod dicitur, *motu proprio* ex certa scientia & qua fungimur, autoritate Imperiali & ejus plenitudine illa omnia confirmamus, & si quæ ex iis nova videbuntur, ea quoque volentes dedimus, concessimus, quædam etiam restituimus, & redintegravimus, tenore harum redintegramus, damus, ac restituimus, approbamus, omnesque consuetudines adversum prædictam Universitatem Lipsiensem, & contra ejus libertatem ac immunitatem introductas, quovis modo laxamus, cassamus, ac tollimus, ita ut etiam, si quid deficiat, vel in jure vel in facto, si quid forte tale intervenisse dici possit, ex potestate nostra plena suppleamus. Ac quia decet, Imperatorum beneficia plena ac larga esse, post enumerata illa omnia nunc primum & de NOVO damus, concedimusque *omnibus Doctoribus, Magistris, & ibi discentibus discipulis,* ut posthac præter dicta privilegia & quæ jura illis tam Pontificia, quam nostra Cæsarea impartiuntur & tribuunt, etiam omnibus privilegiis, libertatibus, immunitatibus, gratiis & exemptionibus, datis & concessis tam a nostris prædecessoribus, quam Pontificibus Romanis docentibus & discentibus in omni disciplinæ ac doctrinæ genere *Paviensi, Bononiensi, Senensi, Patavino, Papiensi, & aliis totius Italiæ, Germaniæ & Galliæ Gymnasiis Universalibus,* quibuscunque olim & quandocun-

que

